

No. _____
OF
THE BEQUEST
OF
WILLIAM ELLIOTT HUDSON, ESQ.,
TO
The Royal Irish Academy.


See "PROCEEDINGS," Vol. vi. p. 1, for November 14, 1853.

No.	Shelf	Case
15	A	263



144
MR
17
15/5

C. P.
D. C.



p. 93-5
S.

PATRICIO.

Qui Hibernos ad fidem

Christi convertit,

adscripta

OPUSCULA: AD E

Quorum **ALICUA** nunc primùm,

ex antiquis MSS. codicibus,

in lucem emissa sunt,

RELIQUA,

recognita;

Omnia, notis ad rem *Historicam*

& *Antiquariam* spectantibus,

ILLUSTRATA:

operâ & studio

Jacobi Waræi Equ. Auraci.

LONDINI,

Apud *Johannem Crook*, sub Signo *Navis*
in cœmeterio Paulino. **MDCCLVI.**

TRICIO

1818

1818

1818

1818

1818

1818

1818

1818

1818

1818

1818

1818

1818

1818



LECTORI.

De S. PATRICIO,

Et Opusculis nunc editis.

DE S. Patricii rebus
gestis in Hibernia,
non pauca extant
volumina typis pub-
licata; nonnulla etiam haecenus
inedita. Hic tamen satis erit
breviter memorare eum in Hi-
berniam appulisse, à Celestino
Pontifice missum Evangelicæ
prædi-

LECTORI.

prædicationis causâ, anno Christi
 CCCXXII, atque laboribus, ibi in religione Chri-
 stiana stabilienda, exantlatis,
 satis se illustrem toto orbe
 Christiano præbuisse, specia-
 tim de Ecclesia Hibernica
 optimè meritum, Hiberniæ
 Apostolum vulgò dictum, gran-
 dævumque tandem animam
 Deo, à quo acceperat, red-
 didisse, XVII. die Martii
 anno CCCXCII, annos na-
 tum CXX, rarum & memo-
 randum vitæ longæ exem-
 plum: cùm diù ante obitum, an-
 no nempe CCCLV, in Eccle-
 sia Armachana, (decennio post
 ejus

LECTORI.

ejus fundationem) successo-
 rem suum constituisset Benig-
 num. Benigno cedenti anno
 CCCCLXV, successit S.
 Patricii operâ, Farlathus Tre- ^{Mac} ~~ana~~
 nae filius, eique defuncto anno
 CCCCLXXII, Cor-
 macus, qui annos quinque post
 S. Patricii mortem, denatus est,
 ideóq; in Annalibus Ultonien-
 sibus, ad an. CCCCXCVI, 496
 qui nobis est CCCCXCVII, 497
 quo obitus eius memoratur, Hæ-
 res Patricii appellatur. Ita ut
 ipse Patricius in ea sede tres
 viderit successores. Quanquam
 verò vita eius admodum
 longa fuit, nunquam tamen
 A 4 otiosa.

LECTORI.

otiosa: Nam postquam Sedis
 suæ curam aliis commisisset,
 muneris sui non immemor, æta-
 tis reliquum, partim contem-
 plationi & studiis, partim præ-
 dicationi & publicis Ecclesiæ
 negotiis impendit.

Ad hanc Opusculorum illi
 adscriptorum editionem jam
 venimus: in quâ, Confessio
 ejus, Epistola ad Coroticum
 & Canones nonnulli, cum ad-
 junctis Proverbiis, nunc pri-
 mum in lucem producuntur.
 In his edendis criticâ admo-
 dum rarò usus sum licentiâ.
 Etenim ubi solæcismos, li-
 brariorum vitio (uti par est
 credere)

LECTORI.

credere) commissos inveni, quos exemplarium manuscriptorum collatione emendare non potui, ipsissima verba, nudè, doctissimorum judicio reliqui, exceptis levioris notæ nonnullis, quæ distincto charactere notantur. Ad cætera Opuscula quod attinet, quæ vel ejus nomine solùm, vel inter aliorum etiam opera, antehac fuerunt edita; Annotationes iis adjunctæ indicabunt, quot veterum exemplarium MSS. collatione, nunc emendatio-
ra redduntur. Præfigere por-
rò visum est tanquam Appa-
ratum necessarium ordine
suc,

LECTORI.

suo, de libellis ipsis nunc editis, Scriptorum aliquorum Testimonia, qui ante tempora nostra vixerunt.

I. Quapropter, ut cum Confessione ejus incipiamus: Fragmenta quamplurima Historica, ex ea in libros suos, de vita S. Patricii transcripsit Probus Hibernus, qui claruit Seculo Decimo. Probi hujus Libri extant in Tomo 3. Operum venerabilis Bedæ, cui falsò à nonnullis tribuuntur, ut è fine libri 2. liquet, ubi Author disertè nomen suum, his verbis aperit, Ecce habes, frater Pauline,

LECTORI.

Pauline, à me humili Probo, postulatum nostræ fraternitatis indicium, quo nos pauperes aliqua tibi, de Sanctissimi Patris nostri Patricii Episcopi virtutibus, scribere cupiebas. *Alia fragmenta ex eadem desumpta habentur in antiquo Authore mihi anonymo; qui vitam S. Patricii tribus libris descripsit, tametsi ab eo citentur, ut ex libris Epistolarum ejusdem Patricii excerpta. Hæc tamen Confessio non improprie Epistola appellatur, siquidem S. Patricium ad Hibernos eam scripsisse,*

LECTORI.

*scripsisse, è non paucis ejusdem
 locis satis liquet. Fatendum
 est quidem apud alios (quos
 vidi) authores, mentionem de
 hoc opusculo, quasi caligine
 quadam videri obvolutam: Sic
 enim Johannes Lelandus,
 in libro de Scriptoribus Bri-
 tanniæ: Scripsit Patricius
 Odoëporicon, sive Itinera-
 rium, qui liber titulo Con-
 fessionis, nescio quàm aptè,
 à Meildunensi (seu Malmes-
 buriensi,) in libro primo de
 vita Patricii, frequentiuscu-
 lè citatur. Lelandi liber MS:
 extat in publica Bibliotheca
 Academiæ Oxoniensis, ad pub-
 licam*

licam utilitatem, cum Deus vo-
 luerit, edendus. Et Lelando,
 Balæus, *Scriptorum Britan.*
Centur. I. num. 44. Odæpori-
 con Patricii, & Itinerari-
 um Confessionis ejus, sic e-
 nim appellat, tanquam diversa
 opera, traduxit. Nebula hæc
 dispelli (ut opinor) potest, si non
 ex collatione jam dicti libri
 Guil. Malmesburiensis cum
 confessione Patriciana, (nam
 librum ipsum ita citatum non-
 dum vidi) tamen ex ipsa confes-
 sione, in qua S. Patricius non
 pauca refert, de duplici sua
 captivitate, itineribus, ærum-
 nis, &c. Atque hæc de Confes-
 sione

LECTORI,

sione ejus haëtenùs. Ex quibus verò codicibus MSS. eajam edita est, in Annotationibus patebit.

II. Secundi eius libelli jam publicati, Epistolæ nempe ad Coroticum, aliàs Cereticum, regulum Cambro-Britannicum disertè meminit Focelinus monachus Cistertiensis cœnobii Furnessensis apud Lancastrienses, in vit. S. Patricii, cap. 150. Claruit is sub exitum Henrici 2. Regis Angliæ, ac vitam eam descripsit suasionibus Thomæ O'Conner Archiepiscopi Armachani, Malachiæ eius nominis tertii Episcopi Dunensis & Joh. de Curci, Ulidiæ dicti Principis.

III. Trans-

1180

460

720

III. *Transeo ad S. Patricii
 Canones, de quibus idem Focelinus, cap. 185. verba faciens:
 Quoddam etiam volumen (inquit) quod dicitur Canon-
 Patric, id est, Canones Pa-
 tricii scripsit, quod cuilibet
 personæ, seu Seculari, seu
 Ecclesiasticæ, ad justitiam
 exercendam & salutem ani-
 mæ obtinendam, satis com-
 modè convenit. In Synodis
 celebrandis quàm assiduus fuit
 S. Patricius, è Focelin. etiam
 liquet, cap. 168. & 191. Aliqui è
 Canonibus ejus, unà cum dua-
 bus integris Synodis, & Pro-
 verbiis nonnullis, suis postea
 patebunt*

patebunt locis. Cæterùm multi
 haud dubiè Canones ejus perie-
 runt, & alii fortassè in tenebris
 adhuc delitescunt. Meminit
 libri eius Proverbiorum idem
 Jocelinus, cap. 185.

IV. Nunc libellus de
 tribus Habitaculis dicetur, de
 quo ita Bostonus Monachus
 Benedictinus cœnobii S. Ed-
 mundi Buriensis, in libro de
 Scriptoribus Ecclesiasticis: Pa-
 tricius Archiepiscopus Hi-
 berniæ floruit anno Christi
 CCCCXXIX, & scrip-
 sit de tribus Habitaculis,
 Cœli, Mundi, & Inferni.
 Init. Tria sunt. Liber ille

tunc

LECTORI.

tunc extabat, ut ille innuit, in Bibliotheca S. Johannis Colcestriæ. Idem Opusculum numerat etiam Bostonus inter Opera S. Augustino attributa, cum hâc tamen observatione: Iste liber intituletur à quibusdam, De gaudiis Electorum & pœnis damnatorum. A quibusdam ascribitur Patricio Archiepiscopo Hiberniæ, & intituletur hîc de tribus habitaculis, Cœli, Mundi & Inferni. Bostonus ille (quem Joh. Caius, lib. de Antiquitate Acad. Cantab. nescio quo authore, Johannem Bostonum vocat) claruit

(a)

sub

LECTORI.

*sub Henrico IV Rege Angliæ,
 ineunte Seculo XV, & nulli
 labori parcens, ut Spartam su-
 am adornaret, omnes penè præ-
 cipuas Angliæ & Scotiæ bibli-
 othecas perlustravit. Librum
 ejus hætenùs ineditum, mihi
 communicavit D. Jacobus Us-
 serius nuper Archiepiscopus
 Armachanus, vir ob eruditio-
 nem cum moribus suavissimis
 conjunctam, celeberrimus. Ejus
 suasu, & ex illius Bibliotheca
 instructissima, necnon è nobili
 codicum MSS. thesauro Cot-
 toniano, & aliis in Annotatio-
 nibus nostris passim citatis bib-
 liothecis, conquisitis subsidiis,
 hoc*

LECTORI.

*us venit libellus de Abusionibus
 Seculi, ex cujus nono Abusionis
 gradu, fragmenta quædam S. Pa-
 tricionostro adscripta, tacito ta-
 men libelli titulo, citantur in an-
 tiquo codice MS. Bibliothecæ
 Collegii S. Benedicti Cantabri-
 giæ, num. 230. pa. 197. inter sen-
 tentias de Regibus. S. Patricii
 etiam nomine citantur à Cath-
 vulpho, in Epistola ad Carolum
 Magnum. Vid. Tom. 2. Histor.
 Francic. Scriptor. ab Andrea
 de Chesne edit. pag. 666. &
 667. Quapropter libellum eum
 integrum describendum existi-
 mavi, & cæteris hinc adjungen-
 dum, ex editione Pameliana
 (quæ*

LECTORI.

(quæ & optima) Operum S. Cypriani, cui etiam, licet falso, adscribitur, sicut ipse Pamelius testatur. De nonnullis aliis S. Patricio attributis opusculis, sed plerumq; vel perditis vel supposititiis, vide librum meum de Scriptoribus Hiberniæ, Dublinii editum an. MDCXXIX, & Johannis Colgani Triadem Thaumaturgam.

Cæterum, ut Præfationi colophonem addam: In hac editione, vestigiis insidens Des. Erasmi, Jacobi Pamelii & aliorum qui Sanctorum Patrum Opera ediderunt, non solum S. Patricii Opuscula nonnulla certa & indu-

LECTORI.

indubitata protuli, sed alia etiam, uti titulus innuit, dubia aut supposititia. Veruntamen in Annotationibus postea, Deo volente, legitima & vera; à dubiis aut supposititiis separare aggrediar. His præmissis, hoc quaecumque pensum, non alio (uti antea dixi) sine susceptum, quam ut publicæ utilitati inserviat, Docti & æqui Lectoris iudicio, libens lubensque submitto & subjicio. Londini, Idibus Julii MDC LVI. 1656.

ELEN-

ELENCHUS

*Opusculorum nunc editorum,
necnon Annotationum
ad singula opuscula.*

OPUSCULA.

- C**onfessio S. Patricii. Pag. 1.
Epistola ejus ad Coroticum. P. 24.
Synodus S. Patricii. P. 31.
Alii IX Canones S. Patricio ad-
scripti. P. 39.
Synodus Patricii, Auxilii & Isser-
nini. P. 42.
Alii Canones S. Patricii. P. 47.
Proverbia aliqua S. Patricii. P. 49.
Lib. de tribus Habitaculis. P. 51.
Charta, sive Epistola, de Antiquitate
Avalonica. P. 65.
Lib. de Abusionibus Seculi; P. 69.

ANNO.

ANNOTATIONES,

Ad Confessionem.	p.94.
In Epistolam ad Coroticum.	p.110.
ad Synodum S.Patricii.	p.116.
ad alios IX Canones.	p.119.
ad Synodum Patricii, Auxilii & Iffernini.	p.122.
ad alios Canones.	p.127.
ad Proverbia aliqua.	p.129.
ad lib. de tribus Habitaculis.	p.130.
ad Chartam, sive Epistolam, de An- tiquitate Avalonica.	p.131.
ad lib. de Abusionibus Seculi.	p.138.

Unà cum

Corollario, [pag. 140.] & Hym-
no alphabetico, Secundino Episco-
po, S. Patricii è Darerca sorore ne-
poti adscripto, in laudem S. Patricii
tum viventis. [pag. 146.]

CONFES-



S. PATRICII
CONFESSIO,

IN

Epistolâ ad HIBERNOS
explicata.



EGO *Patricius* peccator, rusticissimus & minimus omnium fidelium, & contemptibilissimus apud plurimos, patrem habui *Calpornium* diaconem, filium quondam *Potiti* Presbyteri, qui

fuit in a vico *Bonavem Tabernie*; Villulam *Enon* propè habuit, ubi capturam dedi. † Annorum eram tunc ferè sedecim. Deum verum ignorabam, & ^b *Hiberione* in captivitate adductus sum, cum tot milibus hominum, secundùm merita nostra, quia à Deo recessimus, & præcepta ejus non custodivimus, & sacerdotibus nostris non obediens fuimus, qui nostram salutem admonebant: Et Dominus induxit super nos iram animationis suæ, &

B

disperfit

†. A. D. 389 Captivus factus, *Patritius*,
anno decimo *Nelli magni*.

492

120

372

17

389

a De vico *Ban-*
navæ Tybur-
nix regionis,
haud procul à
mari occidenta-
li. Probus, Lib.
2. de vita Pa-
tricii.

b *Ira Hiberni-*
am appellat.

dispersit nos in gentibus multis, etiam usque ad ultimum terræ, ubi nunc parvitas mea esse videtur inter alienigenas. Et ibi Dominus aperuit sensum incredulitatis meæ, ut vel sero rememorarem delicta mea, & ut converterer toto corde ad Dominum Deum meum; qui respexit humilitatem meam, & misertus est adolescentiæ & ignorantæ meæ, & custodivit me antequàm scirem eum, & antequàm sciperem vel distinguerem inter bonum & malum, & munivit me & consolatus est me, ut pater filium.

Unde autem tacere non possum, neque expedit quidem tanta beneficia & tantam gratiam quam mihi [° Dominus præstare] dignatus [est] in terrâ captivitatis meæ, quia hæc est retributio nostra, ut post correctionem vel agnitionem Dei exaltaremur, & confiteremur mirabilia ejus coram omni natione quæ est sub omni cælo, quia non est alius Deus, nec unquam fuit nec erit post hunc, præter Deum patrem ingenitum, sine principio, à quo est omne principium omnia tenens (ut diximus) & hujus filium Jesum Christum, quem cum patre scilicet fuisse semper testamur, ante originem seculi, spiritualiter apud patrem, inenarrabiliter genitum ante omne principium, & per ipsum facta sunt visibilia & invisibilia, hominem factum devicta morte, in cælos ad patrem receptum. Et dedit illi omnem potestatem super omne nomen cælestium & terrestrium & infernorum, ut omnis lingua

e Desunt in cod. Armachano omnia sequentia intra uncas [] inclusa, usque ad finem Confessionis.

lingua confiteatur, quia Dominus & Deus est Iesus Christus, quem credimus, & expectamus adventum ipsius, mox futurus Iudex vivorum & mortuorum, qui reddet unicuique secundum facta sua, & infudit in nobis abunde Spiritus sancti donum & pignus immortalitatis, qui facit credentes & obedientes, ut sint filii Dei patris & coheredes Christi, quem confitemur & adoramus, unum Deum in Trinitate sacri nominis. Ipse enim dixit per Prophetam, *Invoca me in die tribulationis tuae, & liberabo te, & magnificabis me.* Et iterum inquit, *Opera autem Dei revelare & confiteri honorificum est.* Tamen etsi in multis imperfectus sum, opto fratres & cognatos meos scire qualitatem meam, ut possint perspicere votum animæ meæ. Non ignoro testimonium Domini mei, qui in Psalmo testatur, *Perdes eos qui loquuntur mendacium, & iterum, Os quod mentitur occidit animam.* Et idem Dominus in Evangelio inquit, *Verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die iudicii.* Unde autem vehementer [debueram] cum timore & tremore metuere hanc sententiam in die illa, ubi nemo poterit se subtrahere vel abscondere, sed omnes omnino reddituri sumus rationem etiam minimorum peccatorum ante tribunal Christi Domini.

Vulg. Mat. 12
38.

Quapropter olim cogitavi scribere, sed usque nunc hæsitavi. Timui enim ne inciderem in linguam hominum. Et quia non
B 2 legi,

legi, sicut cæteri qui optimè itaque jure & sacras literas utroque pari modo combiberunt, & sermonem illorum ex infantia nunquam mutaverunt, sed magis ad perfectum semper addiderunt. Nam sermo & loquela nostra translata est in linguam alienam, sicut facilè potest probari ex saliva Scripturæ meæ, qualiter sum ego in Sermonibus instructus atque eruditus, quia inquit sapiens, *per linguam dignoscitur & sensus & scientia & doctrina varietatis.* Sed quid prodest excusatio juxta veritatem, præsertim cum præsumptione? quatinus modò ipse appeto in senectute mea, quod in juventute, quia obstiterunt [peccata mea] ut confirmarem quod ante non perlegeram. Sed quis t me credit? Et si dixero (quod ante præfatus sum) adolescens, immò penè puer imberbis capturam dedi, antequàm scirem quid peterem, vel quid vitare debueram. Unde ergo hodie erubescō & vehementer pertimeo denudare imperitiam meam, quia disertis brevitatē sermonis explicare nequeo. Sicut enim Spiritus gestit & animus & sensus monstrat affectus. Sed si itaque datum mihi fuisset sicut cæteris, veruntamen non silerem propter retributionem. Etsi fortè videtur apud aliquantos me in hoc præponere cum mea inscitia & tardiori lingua. Sed scriptum est, *Lingua balbutientes velociter discent loqui pacem*: quanto magis nos ad petere debemus qui sumus, inquit, *Epistola Christi*, in salutē usque ad ultimum terræ: Etsi non diserta sed

† *Mibi.*

rata & fortissimè scripta in cordibus vestris,
non atramento, sed Spiritu Dei vivi. Et iterum
 Spiritus testatur, *Et rusticicatio ab Altissimo cre-*
ata est.

Unde ego primus rusticus perfuga, indo-
 ctus scilicet, qui nescio in posterum provide-
 re: sed scio illud certissimè, quia utique pri-
 usquam humiliarer, ego eram velut lapis qui
 jacet in luto profundo, & venit qui potens
 est, & in sua misericordia sustulit me, & qui-
 dem scilicet sursum adlevavit & collocavit me
 in summo pariete. Et inde fortiter debueram
 exclamare, ad retribuendum quoque aliquid
 Domino, pro tantis beneficiis ejus, hinc & in æ-
 ternum, quæ mens hominum æstimare non
 potest. Unde autem admiramini magni
 & pusilli qui timetis Deum, & vos ignari
 Domini Rhetorici, audite ergò & scrutamini
 quis me stultum excitavit de medio eorum
 qui videntur sapientes esse, & legis periti, &
 potentes in Sermone, & in omni re, & me qui-
 dem detestabilem hujus mundi, præ cæteris
 inspiravit si talis essem. Dummodo autem ut
 cum metu & reverentia, & sine querela, fide-
 liter prodessem Genti, ad quam charitas Chri-
 sti transtulit, & donavit me in vita mea, si
 dignus fuero: denique, ut cum humilitate &
 veraciter deservirem illis.

In mensura itaque fidei Trinitatis oportet
 distinguere sine reprehensive periculi notum
 facere donum Dei & consolationem æter-
 nam, sine timore fiducialiter Dei nomen [no-

Gadelicis

mine ubique expandere, ut etiam post obitum meum Gallicis relinquerem fratribus & filiis meis quos ego in Domino baptizavi, tot milia hominum. Et non eram dignus neque talis, ut hoc Dominus servulo suo concederet, post ærumnas & tantas moles, post captivitatem, post annos multos, in gentem illam tantam gratiam mihi donaret, quod ego aliquando in juventute mea nunquam speravi neque cogitavi.

Sed postquam *Hiberionem* deveneram, quotidie [igitur] pecora pascebam & frequens in die orabam, magis ac magis accedebat amor Dei & timor ipsius, & fides augebatur, & spiritus augebatur, ut in die una usque ad centum orationes, & in nocte prope similiter; ut etiam in silvis & monte manebam, & ante lucem excitabar ad orationem per nivem, per gelu, per pluviam, & nihil mali sentiebam, neque ulla pigritia erat in me, sicut modò video, quia tunc in me Spiritus fervebat.

Et ibi scilicet quadam nocte, in somno audivi vocem dicentem mihi, Bene jejunas, citò iturus ad patriam tuam. Et iterum post paululum tempus, audivi responsum dicens mihi; Ecce navis tua parata est; Et non erat propè, sed fortè habebat ducenta milia passus: & ibi nunquam fueram, nec ibi notum quenquam de hominibus habebam. Et deinde postmodum conversus sum in fugam, & intermisi ^d hominem, cum quo fueram ^e sex annis. Et veni in virtute Domini qui viam
meam

^d Quendam gentilem immitem regem, apud quem in servitute fuerat detentus: ut habet Probus.

^e Probus habet 7. Iocelinus & alii 6.

meam ad bonum dirigebat, & nihil metuebam donec perveni ad navem illam. Et illa [die] qua perveni, profecta est navis de loco suo, & locutus sum, ut haberem unde navigarem cum illis. Et gubernatori displicuit, & acriter cum indignatione respondit. Nequaquam tu nobiscum adpetas ire? Et cum hæc audissem, separavi me ab illis, ut venirem ad tuguriolum ubi hospitabam; & in itinere cœpi orare, & antequam orationem consummarem, audivi unum ex illis fortiter exclamantem post me: Veni citò quia vocant te homines isti, & statim ad illos reversus sum, & cœperunt mihi dicere, veni quia ex fide recipimus te, fac nobiscum amicitiam, quomodò volueris. Et in illa die itaque repuli fugere, propter timorem Dei. Veruntamen speravi ab illis, ut mihi dicerent, Veni in fide Jesu Christi, quia Gentes erant.

*f Sine naulo sc.
ut addit Probus.*

*g Probus hæc
addit quædam
ex suo, & mu-
tat verba pro
libito.*

Et hoc obtinui cum illis: [& protinus navigavimus] & post triduum terram cepimus, & viginti octo dies, per desertum iter fecimus, & cibus defuit illis, & fames invaluit super eos. Et alia die cœpit gubernator mihi dicere, Quid Christiane dicis? Deus tuus magnus & omnipotens est, Quare ergo non potes pro nobis orare, quia nos fame periclitamur? difficile est enim ut aliquem hominem unquam videamus. Ego enim evidenter dixi illis, convertimini ex fide & ex toto corde ad Dominum Deum nostrum, quia nihil est illi impossibile, ut hodie cibum mittat vobis, in

viam vestram, usque dum satiamini, quia
 ubique abundat illi. Et adjuvante Deo, ita
 factum est: Ecce grex porcorum in viâ ante
 oculos nostros apparuit: & multos ex illis in-
 terfecerunt, & ibi duas noctes manserunt be-
 nê refecti; & carne eorum relevati sunt, quia
 multi ex illis detecerunt, & secus viam semi-
 vivi derelicti sunt. Et post hæc summas gra-
 tias egerunt Deo, & ego honorificatus sum
 sub oculis eorum. [Et ex hac die abundanter
 cibum habuerunt] Etiam mel silvestre inve-
 nerunt, & mihi partem obtulerunt. Et unus
 ex illis dixit, hoc immolatum est: Deo
 gratias. Exinde nihil gustavi. ^h Eâdem verò
 nocte, eram dormiens, & fortiter temptavit
 me Satanas, cujus memor ero quâm diû fuero
 in hoc corpore. Et cecidit super me veluti
 saxum ingens, & nihil membrorum meorum
 prævalens. Sed unde mihi venit, ignoro, in
 spiritum, ut *Heliam* vocarem: & inter hæc
 vidi in cælo solem oriri, & dum clamarem
Heliam, Heliam, viribus meis; ecce splendor
 solis decidit super me, & statim discessit à me
 omnem gravitudinem. Et credo quòd à Chri-
 sto Domino meo “[subventus sum & Spiri-
 tus ejus jam tunc] clamabat pro me, & spero
 quòd sic erit in die pressuræ meæ, sicut in E-
 vangelio inquit: [In illa die] Dominus [te-
 statur] *Non vos estis qui loquimini, sed Spiri-
 tus patris vestri qui loquitur in vobis.*
 Et iterum post annos [non] multos adhuc
 capturam dedi: Eâ nocte primâ itaq; mansi
 cum

^h Nam carnes
 ipse non come-
 debat, addi-
 Probus, ex suo.

ⁱ Hoc est, per tulli
 captionem ab
 alienigenis.
 Sic Probus, qui
 multa hæc in-
 terponit.

cum illis, responsum autem divinum audi-
vi dicens mihi, Duos menses eris cum illis,
quod ita factum est. Nocte illâ sexagesimâ
liberavit me Dominus de manibus eorum.
Ecce in itinere prævidit nobis cibum & ig-
nem, & siccitatem quotidie: donec quar-
to decimo die pervenimus ad homines, sicut
superiùs insinuavi, viginti & octo dies per
desertum iter fecimus, & eâ nocte quâ perve-
nimus ad homines, de cibo vero nihil habui-
mus.

Et iterum post paucos annos in Britanniiis
eram cum parentibus meis, qui me ut filium
susceperunt & ex fide rogaverunt me, ut vel
modò ego (post tantas tribulationes quas per-
tuli) nunquam ab illis discederem. Et ibi
scilicet vidi in visu nocte virum venientem
quasi de *Hiberione*, cui nomen *Victoricus*
cum epistolis innumerabilibus, & dedit
mihi unam ex illis, & legi principium episto-
læ continentem *Vox k Hiberionacum*. Et dum ^{k Hibernigena-}
recitabam principium epistolæ, putabam ip-
so momento, audire vocem ipsorum qui ^{rum. Jocelin.}
erant juxta sylvam *Focluti*, quæ est prope ^{cap. 21.}
mare occidentale. Et sic exclamaverunt
quasi ex uno ore; Rogamus te sancte puer, ut
venias & adhuc ambules inter nos. Et valde
compunctus sum corde, & amplius non potui
legere: & sic expergefactus sum. Deo gratias,
quia post annos plurimos præstitit illis Do-
minus, secundum clamorem eorum. Et
aliâ nocte, nescio, Deus scit, utrum in me,
an

1 Dedit ani-
mam pro te, ipse
est qui loquitur
in te. Lib. Arm.

an juxta me, verbis peritissimis quæ ego audi-
vi & non potui intelligere, nisi ad postremum
orationis sic affatus est: *qui¹ pro te animam su-
am posuit.* Et sic expergetactus sum gaudibun-
dus. Et iterum vidi in me ipsum orantem, &
eram quasi intra corpus meum: & audiui su-
per me, hoc est, super interiorem hominem,
& ibi fortiter orabat gemitibus. Et inter hæc
stupebam, & admirabar, & cogitabam quis
esset qui in me orabat. Sed ad ad postremum
orationis, sic effatus est, ut sit spiritus. Et sic
experrectus sum, & recordatus sum, Apostolo
dicente: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostræ
orationis. Nam quid oremus sicut oportet, nesci-
mus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus
inenarrabilibus, quæ verbis exprimi non pos-
sunt.* Et iterum, *Dominus advocatus noster postu-
lat pro nobis.*

“ [Et quando temptatus sum ab aliquantis
“ senioribus meis qui venerunt, & peccata mea
“ contra laboriosum episcopatum meum: uti-
“ que in illo die fortiter impulsus sum ut cade-
“ rem hîc & in æternû. Sed Dominus pepercit
“ profelito & peregrino, propter nomen suum
“ benignè & valde mihi subvenit, in hac con-
“ culcatione, quòd in labem & in obprobrium
“ non malè deveni. Deum oro ut non illis in
“ peccatum reputetur occasionum. Post an-
“ nos triginta invenerunt me, & adversus ver-
“ bum quod confessus fueram, antequàm es-
“ sem Diaconus, propter anxietatem, mœsto
“ animo insinuavi amicissimo meo, quæ in pu-
“ eritia

"critia mea, una die gesseram, immo in una
 "hora, quia nec dum prævalebam. Nescio,
 "Deus scit, si habeam tunc annos quindecim,
 "& Deum vivum non credebam, neq; ex in-
 "fanzia mea, sed in morte & in incredulitate
 "mansi, donec valdè castigatus sum, & in
 "veritate humiliatus sum à fame & nuditate,
 "& quotidie. Contrà, *Hiberionem* non spon-
 "te pergebam, donec propè deficiebam. Sed
 "hoc potius benè mihi fuit, quia ex hoc emen-
 "datus sum à Domino, & apravit me ut ho-
 "diè essem quod aliquandò longè à me erat,
 "ut ego curas haberem aut fatagerem pro sa-
 "lute aliorum; quando tunc etiam de me ip-
 "so non cogitabam.

"Igitur in illo die quo reprobatus sum à
 "memoratis suprâ dictis, ad noctem illam]
 vidi in visu noctis: Scriptum erat contra fa-
 "ciem meam sine honore. Et inter hæc, au-
 "divi responsum [divinum] dicens mihi:
 Malè vidimus faciem Dei signati nudato no-
 mine, nec sic prædixit, male vidisti, sed malè
 vidimus, quasi ibi se junxit, sicut dixit;
*Qui vos tangit, quasi tangit pupillam oculi
 mei.* Idcirco gratias ago ei qui me in om-
 nibus confortavit, ut non me impediret à
 profectioe quam statueram, & de meo quo-
 que opere quod à Christo didiceram. Sed ma-
 gis ex eo sensi in me virtutem non parvam,
 & fides mea probata est coram Deo & homi-
 nibus. Unde autem audenter dico: Non me
 reprehendit conscientia mea hîc & in futurum.

Testem

Testem Deum habeo, quia non sum
 mentitus in sermonibus quos ego retuli vo-
 "bis. [Sed magis doleo pro amicissimo meo,
 "cur hoc meruimus audire tale responsum,
 "cui ego credidi etiam animam. Et com-
 "peri ab aliquantibus fratribus, ante defensio-
 "nem illam, quod ego non interfui, nec in
 "Britanniis eram, nec a me orietur, ut & il-
 "le in mea absentia, pro me pulsaret, etiam
 "mihi ipse ore suo dixerat: Ecce dandus es
 "tu ad gradum Episcopatus, quod non e-
 "ram dignus. Sed unde venit illi postmo-
 "dum, ut coram cunctis bonis & malis &
 "me publicè dehonestaret, quod antè sponte
 "& lætus indulserat? Et Dominus qui ma-
 "jor omnibus est, satis dico. Sed tamen
 "non debeo abscondere donum Dei quod
 "largitus est nobis in terra captivitatis meæ.
 "Quia tunc fortiter inquisivi eum, & ibi inve-
 "ni illum, & servavit me ab omnibus iniqui-
 "tatibus. Sic credo, propter inhabitan-
 "tem Spiritum ejus, qui operatus est usque
 "in hanc diem in me audenter rursus. Sed
 "scit Deus, si mihi homo effatus fuisset, forsi-
 "tan tacuisssem, propter charitatem Christi.
 "Unde ergò indefessam gratiam agam Deo
 "meo, qui me fidelè servavit in die temptati-
 "onis meæ, ita ut hodie confidenter offeram illi
 "sacrificium, ut hostiam viventem animam me-
 "am Christo Domino meo, qui me servavit ab
 "omnibus angustiis meis: ut & dicam quis ego
 "sum Domine, vel quæ est vocatio mea, qui
 "mibi

" mihi tantam divinitatem cooperuisti ? ita ut
 " hodie in gentibus constanter exultarem &
 " magnificarem nomen tuum, ubicunque fue-
 " ro ; nec non in secundis, sed etiam in presu-
 " ris: ut quicquid mihi eveneret, sive bonum si-
 " ve malum, æqualiter debeo suscipere & Deo
 " gratias semper agere, qui mihi ostendit ut
 " indubitabilem eum sine fine crederem, &
 " qui me audierit, ut & ego inscius sim in no-
 " vissimis diebus, hoc opus tam pium & tam
 " mirificum adire aggrederer, ita ut imitarer
 " quospiam illos quos antè Dominus jam o-
 " lim prædixerat * prænunciaturum Evange-
 " lium suum, *in testimonium omnibus gentibus,* * f. Prænuncia-
 " ante finem mundi. Quod ita ergo (ut vi-
 " dimus itaque) suppletum est. Ecce testes su-
 " mus, quia Evangelium prædicatum est us-
 " que ubi nemo ultra est. *tuos.*

Longum est autem totum per singula enar-
 rare laborem meum, vel per partes. Breviter
 dicam qualiter piissimus Deus de servitute
 sæpe liberavit ex duodecim periculis, quibus
 periclitata est anima mea, præter insidias mul-
 tas, & quæ verbis exprimere non valeo: nec
 & injuriam legentibus faciam. Sed dum au-
 thorem habeo, qui novit omnia, etiam ante-
 " quam fiant, [ut me pauperculum pupillum.
 " Ideo tamen responsum divinum creberri-
 " mè admonuit, unde mihi hæc sapientia quæ
 " in me non erat, qui nec numerum dierum
 " noveram, neq; Deum sapiebam: unde mihi
 " postmodum donū tam magnū, tam salubre,
 Deum

" Deum agnoscere, vel diligere: Sed ut pa-
 " triam, & parentes amitterem; & munera
 " multa mihi offerebantur, cum fletu & la-
 " chrymis, & offendi illos, nec non contra
 " votum, aliquantis de senioribus meis. Sed,
 " gubernante Deo, nullo modo consensi, ne-
 " que adquievi illis, non mea gratia, sed De-
 " us qui vicit in me, & restitit illis omnibus,
 " ut ego venirem ad Hibernas gentes Evan-
 " gelium prædicare, & ab incredulis contu-
 " melias perferre, ut haurirem obprobrium
 " peregrinationis meæ, & persecutiones mul-
 " tas, usque ad vincula, & ut darem ingenui-
 " tatem meam pro utilitate aliorum; & si
 " dignus fuero, promptus sum ut etiam animã
 " meam incunctanter & libentissimè pro no-
 " mine ejus: & ibi opto impendere eam, us-
 " que ad mortem, si Dominus mihi indulge-
 " ret.] quia valde debitor sum Deo qui mihi
 tantam gratiam donavit, ut populi multi per
 me in Deum renascerentur, & postmodum con-
 summarentur. Et ut clerici ubiq; illis ordiren-
 tur ad plebem nuper venientem ad credulita-
 tem quam sumpsit Dominus ab Extremis Ter-
 ræ, sicut olim promiserat per prophetas. "[Ad
 " te gentes venient ab extremis terra & dicent]
 Sicut falsa comparaverunt patres nostri idola, &
 non est utilitas in eis. Et iterum, *Posui te lumen in*
Gentibus, ut sis in salutem, usque ad extremum
terra. Et ibi volo expectare promissum ipsius,
 qui utique nunquam fallit, sicut in Evangelio
 pollicetur. *Venient ab oriente & occidente [&]*

recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob: sicut credimus ab omni mundo venturi sunt credentes.

Idcirco oportet quidem bene & diligenter piscari, sicut Dominus pramonet, dicens; *Venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum.* Et iterum dicit per prophetas, *Ecce ego mitto piscatores & venatores multos, dicit Dominus, &c.* Unde autem valde oportebat retia nostra tendere, ita ut multitudo copiosa & turba Deo caperetur, ut ubique essent clerici qui baptizarent & exhortarentur populum indigentem & desiderantem, sicut Dominus in Evangelio admonet & docet, dicens; *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filii, & Spiritus sancti, [“ Docentes eos observare omnia quaecumque mandavi vobis: & ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi] Et iterum dicit, Euntes ergo in mundum universum predicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit. Qui vero non crediderit condemnabitur.* Et iterum: *Prædicabitur hoc Evangelium regni, in universo mundo, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis.* Et item Dominus per Prophetam prænuncians, inquit; *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem & prophetabunt filii vestri & filiae vestrae, & filii vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super servos meos, & super ancillas meas*

"meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, &
 "prophetabunt. Et in Olea dicit: vocabo non
 "plebem meam, plebem meam, & non misericor-
 "diam consecutam, misericordiam consecutam, &
 "erit in loco ubi dictum est, non plebs mea vos,
 "ubi vocabuntur filii Dei vivi.]

Unde autem *Hiberione*, qui nunquam no-
 titiam Dei habuerunt, nisi idola & immunda
 ulque nunc semper coluerunt; quomodo nu-
 per facta est plebs Domini, & filii Dei nuncu-
 pantur? Filii *Scottorum* & filiae regulatorum,
 Monachi & virgines Christi esse videntur.
 [Et etiam una benedicta *Scotta* genitivâ
 nobilis, pulcherrima, adulta erat, quam ego
 baptizavi.

"Et post paucos dies, una causa venit ad
 "nos, insinuavit nobis responsum accepisse
 "à nuntio Dei, & monuit etiam ut esset vir-
 "go Christi & ipsa Deo proximaret. Deo
 "gratias sextâ ab hac die optimè & avdissi-
 "mè arripuit illud quod etiam omnes virgi-
 "nes Dei, ita hoc faciunt, non sponte patrum
 "earum, sed persecutionem patientur, & in
 "properia falsa à parentibus suis; Et nihili-
 "ominus plus augetur numerus, & de gene-
 "re nostro qui ibi nati sunt, nescimus nume-
 "rum eorum, præter viduas & continentes:
 "sed & illæ maximè laborant, quæ servitio
 "detinentur, ulque ad terrores & minas assi-
 "duè perseverant. Sed Dominus gratiam
 "dedit multis ex ancillis meis, nam live ran-
 "tùm, tamen fortiter imitantur. Unde au-

"tem

Foch p.
 m f e o m
 f a b s
 n
 p a a t e
 n e p e l h
 n p a b i
 n p o l o z
 q b t o a n
 t r o n g e l
 a t o e m b o
 S c u t o z o
 A d p p e n

"tem etsi voluero amittere illas, & ut per-
 "gens in Britannias & libentissimè paratus
 "eram, quasi ad patriam & parentes, non id
 "solum sed eram usque Gallias visitare fra-
 "tre, & ut viderem faciem Sanctorum Do-
 "mini mei. Scit Deus quòd ego valde opta-
 "bam, sed alligatus Spiritu, qui mihi prote-
 "testatur, Si hoc fecero, ut futurum reum me
 "esse designat, & timeo perdere laborem
 "quem inchoavi; Et non ego sed Christus
 "Dominus qui me imperavit ut venirem, esse
 "cum illis residuum ætatis meæ; si Dominus
 "voluerit & custodierit me ab omni via ma-
 "la, ut non peccem coram illo. Spero autem
 "hoc debueram, sed memet ipsum non cre-
 "do, quamdiù fuero in hoc corpore mortis,
 "quia foris est qui quotidie nititur subverte-
 "re me à fide & à propositâ castitate, usque
 "in finem vitæ meæ, Christo Domino meo:
 "sed caro inimica semper trahit ad mortem,
 "id est, ad inlecebras illicitè perficiendas.
 "Et scio ex parte, quare vitam perfectam
 "ego non egi, sicut & cæteri credentes. Sed
 "confiteor Domino meo & non erubesco in
 "conspectu ipsius, quia non mentior ex quo
 "cognovi eum; à juventute mea crevit in me
 "amor Dei & timor ipsius, & usque nunc fa-
 "vente Domino fidem servavi.

"Rideat autem & insultet qui voluerit, ego
 "non silebo, neque abscondam signa & mi-
 "rabilia quæ mihi à Domino ministrata sunt,
 "ante multos annos quàm fuerant quasi, qui

“ novit omnia, etiam ante tempora secularia,
 “ Unde autem debuero sine cessatione Deo
 “ gratias agere, qui sæpè indulgit insipientiæ
 “ meæ, & de loco non in uno quoque, ut non
 “ mihi vehementer irasceretur, qui adjutor
 “ datus sum & non citò adquievi, secundùm
 “ quod mihi ostensum fuerat, & sicut Spiritus
 “ suggerebat. Et misertus est mihi Dominus
 “ in milia milium, quia vidit in me quòd pa-
 “ ratus eram, sed quòd mihi pro his nescie-
 “ bam de statu meo quid facerem, quia multi
 “ hanc legationem prohibebant, & jam inter
 “ se ipsos post tergum meum narrabant & di-
 “ cebant; Iste quare se mittit in periculum,
 “ inter hostes qui Dominum non noverunt?
 “ non ut causa malitiæ, sed non sapiebat illis,
 “ sicut & ego ipse testor, intellexi, propter
 “ rusticitatem meam; & non citò agnovi gra-
 “ tiam quæ tunc erat in me, nunc mihi capit
 “ quod antè debueram.

“ Nunc ergo simpliciter insinuavi fratribus
 “ & conservis meis qui mihi crediderunt.
 “ Propter quod prædixi & prædico ad robo-
 “ randam & confirmandam fidem vestram,
 “ utinam & vos imitemini, majora & potiora
 “ faciatis. Hoc erit gloria mea; *Quia filius*
 “ *sapiens gloria patris est.*

“ Vos scitis & Deus, qualiter apud vos con-
 “ versatus sum à juventute mea, & fide veri-
 “ tatis & in sinceritate cordis: etiam ad gen-
 “ tes illas inter quas habito, ego fidem illis
 † præstavi & præstabo. Deus scit, neminem
 “ illo-

† Præstiti.

" illorum circumveni, nec cogito propter De-
 " um & Ecclesiam ipsius, ne excitem illis &
 " nobis omnibus persecutionem, & ne per me
 " blasphemaretur nomen Domini, quia scri-
 " ptum est; *Vae homini per quem nomen Domini*
 " *blasphematur.* Nam etsi imperitus sum in
 " omnibus, tamen conatus sum quippiam
 " servare me etiam & fratribus Christianis,
 " & virginibus Christi, & mulieribus religio-
 " sis, quæ mihi ultronea munuscula donabant
 " & super altare reddebant, ex ornamentis
 " suis, & iterum reddebam illis. Et adversus
 " me scandalizabantur, cur hoc faciebam.
 " Sed ego propter spem perennitatis, ut me
 " in omnibus cautè propterea conservarem,
 " ita ut me in aliquo titulo infideli non cape-
 " rent vel ministerium servitutis meæ, nec
 " etiam in minimo incredulis locum darem
 " infamare sive detrectare. Fortè autem,
 " quando baptizavi tot milia hominum, spe-
 " raverim ad aliquo illorum vel dimidium
 " scriptulæ. Dcite mihi & reddam vo-
 " bis: aut quando ordinavit Dominus
 " clericos per modicitatem meam & mi-
 " nisterium, gratis distribui illis. *Si po-*
 " *posci ab aliquo illorum vel pretium calcea-*
 " *menti mei, dicite; dicite adversus me, &*
 " *reddam vobis.*

Magis ego impendi pro vobis, ut me cape-
 " ret: & inter vos & ubique pergebam causã
 " vestrã, in multis periculis, etiam usque ad
 " t̄ exteras partes, ubi nemo ultra erat, & ubi t̄ f. *extremas.*

† Non

“ nunquam aliquis pervenerat qui baptizaret,
 “ aut clericos ordinaret, aut populum con-
 “ summaret, donante Domino, diligenter &
 “ libentissimè pro salute vestrà, omnia gene-
 “ ravi. Interim præmia dabam regibus, pro-
 “ pter quod dabam mercedem filiis ipsorum
 “ qui mecum ambulant, & † nihil compre-
 “ henderunt me cum comitibus meis. Et illa
 “ die avidissimè cupiebant interficere me, sed
 “ tempus nondum venerat. Et omnia que-
 “ cunque nobis invenerunt, rapuerunt illa, &
 “ me ipsum ferro vinxerunt: & quarto deci-
 “ mo die absolvit me Dominus de potestate
 “ eorum, & quicquid nostrum fuit, redditum
 “ est nobis, propter Deum & necessarios ami-
 “ cos quos antè providimus. Vos autem ex-
 “ perti estis quantum ego erogavi illis, qui ju-
 “ dicabant per omnes regiones quas frequen-
 “ tiùs visitabam. Censeo enim non mini-
 “ mum pretium quindecim hominum distri-
 “ bui illis, ita ut me fruamini, & ego vobis sem-
 “ per fruam in Deum, non me poenitet nec satis
 “ est mihi, adhuc impendo & super impen-
 “ dam: potens est Dominus, ut det mihi
 “ postmodum ut me ipsum impendam pro
 “ animabus vestris.] Ecce testem Deum in-
 “ voco in animam meam, quia non mentior,
 “ neque ut sit occasio [adulationis vel ava-
 “ ritie scripserim] vobis, neque ut honorem
 “ sperarem vestrum. Sufficit enim mihi honor
 “ qui non [videtur, sed corde creditur, fidelis
 “ autem qui promisit, nunquam] mentitur.

Sed

Sed video jam in præfenti seculo me supra modum exaltatum à Domino. Et non eram dignus neque talis ut hoc mihi præstaret, dum scio [certissimè quòd mihi] melius convenit paupertas & calamitas, quàm delicia & divitiæ. Sed & Christus Dominus pauper fuit pro nobis.

Ego verò miser & infelix, & si opes voluero, jam non habeo, neque meipsum judico, quia quotidie sperno aut internecionem, aut circumveniri, aut redigi in servitutem, sive occasionem cujuslibet. [Sed nihil horum vereor, propter promissa cælorum, quia jactavi meipsum in manus Dei omnipotentis qui ubiq; dominatur, sicut Propheeta dicit: *facta cogitatum tuum in Deum, & ipse te enutriet.* Ecce nunc commendo animam meam fidelissimo Deo meo, pro quo, legatione fungor, in ignobilitate mea. Sed quia personam non accipit, & elegit me ad hoc officium, ut unus essem de suis minimis, minister: *Unde autem retribuam illi pro omnibus quæ retribuit mihi?* Sed quid dicam, vel quid promittam Domino meo? Quia nihil video, nisi ipse mihi dederit: Sed scrutabor corda & renes, quia satis & nimis cupio & paratus eram ut donaret mihi bibere calicem ejus, sicut indulfit cæteris amanti-bus se.

Quapropter non t contingunt mihi à Deo † *Contingat.* meo, ut unquam amittam plebem suam quam adquisivi in ultimis Terræ. Oro

“ Deum ut det mihi per seuerantiam, & dig-
 “ netur ut reddam illi testem fidelem, usque ad
 “ transitum meum, propter Deum meum.
 “ Et si aliquid boni unquam imitatus sum,
 “ propter Deum meum quem diligo, peto il-
 “ lum det mihi, ut cum illis profelitis & cap-
 “ tivis, pro nomine suo, effundam sanguinem
 “ meum, etsi ipse etiam caream sepulturâ, aut
 “ miserrimè cadaver per singula membra di-
 “ vidatur canibus, aut bestiis asperis, aut vo-
 “ lucres cœli comederint illud. Certissimè
 “ reor, si mihi hoc incurrisset, lucratus sum
 “ animam cum corpore meo; Quia sine ulla
 “ dubitatione, in die illa resurgemus in clari-
 “ tate Solis, hoc est, in gloria Christi Jelu
 “ Redemptoris nostri, filii Dei vivi, & *Coha-*
 “ *redes Christi & conformes futuræ imaginis ip-*
 “ *sius*: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in
 “ ipso, regnaturi sumus. Nam Sol iste quem
 “ videmus Deo iubente, propter nos quotidie
 “ oritur, sed nunquam regnabit, neque per-
 “ manebit splendor ejus. Sed & omnes qui
 “ adorant eum, in pœnam miseri malè de-
 “ venient. Nos autem credimus & adoramus
 “ Solem verum, Christum qui nunquam in-
 “ teribit, neque qui facit voluntatem ipsius,
 “ sed manebit in æternum, quomodo & Chri-
 “ stus manebit in æternum, qui regnat cum
 “ Deo patre omnipotente, & cum Spiritu
 “ sancto, ante secula, & nunc, & per omnia
 “ secula seculorum, *Amen.*

“ Ecce iterum iterumque breviter expo-
 “ nam

“nam verba *Confessionis meae*. Testificor in
“veritate, & in exultatione cordis, coram
“Deo & sanctis Angelis eius, quia nunquam
“habui aliquam occasionem, præter Evange-
“lium & promissa illius, ut unquam redde-
“rem agentem illam, unde autem priùs vix
“evaferam.]

Sed precor credentibus & timentibus De-
um, quicumque dignatus fuerit inspicere vel
recipere hanc scripturam, quam Patricius
peccator (indoctus scilicet) *Hiberione* con-
scripsit, ut nemo unquam dicat quòd meâ ig-
norantiâ, si aliquid pusillum ego vel demon-
straverim, secundum Dei placitum. Sed ar-
bitramini, & verissimè credatur, quòd do-
num Dei fuisse. Et hæc est *Confessio mea*,
antequam moriar.

S. PATRICII

ad Coroticum, Epistola.

PAtricius peccator, indoctus scilicet. *Hibernione* constitutum Episcopum me esse fateor. Certissime reor, à Deo accipere id quod sum. Inter barbaros itaque habito profelitus & profuga, ob amorem Dei. Testis est ille, si ita est: non quod optabam tam dure & tam asperè ex ore meo effundere, sed cogor zelo Dei & veritatis Christi, [qui] excitavit me pro dilectione proximorum atque filiorum, pro quibus tradidi patriam & parentes & animam meam usque ad mortem, si dignus sum. Vovi Deo meo docere gentes, etsi contemnor à quibus manu meâ scripsi atque condidi verba ista danda & tradenda militibus mittenda Corotico, non dico civibus meis, neque civibus Sanctorum Romanorum, sed civibus Dæmoniorum, ob mala opera ipsorum, ritu hostili. In morte vivunt Socii *Scottorum* atque *Pictorum Apostatarum*, quæ sanguinolentos sanguinare de sanguine innocentium Christianorum quos ego innumeros Deo genui, atque in Christo confirmavi, postera die quâ † chrismate neophyti in veste candida flagrabat in fronte ipsorum, dum crudeliter

† f. Chrismæ

liter trucidati atque maectati gladio à suprâ dictis. Et mihi Epistolam cum sancto Presbytero, quem ego ex infantiâ docui, cum clericis, ut nobis aliquid indulgerent de prædâ, vel de captivis baptizatis quos cœperunt, [*sed*] cachinnos fecerunt de illis. Idcirco nescio quos magis lugeam, an qui interfecti, vel quos ceperunt, vel quos graviter Zabulus inlaquiavit, perhenni pœnâ gehennæ, [*ubi*] pariter cum ipso mancipabunt. Quia utique qui facit peccatum servus est, & filius Zabuli nuncupatur.

Quapropter sciat omnis homo timens Deum, quòd à me alieni sunt & à Christo Domino meo, pro quo legatione fungor, Patricidæ, Fratricidæ, Lupi rapaces, *Devorantes plebem Domini, ut cibum panis*, sicut ait; *iniqui dissipaverunt legem tuam Domine*, qua in supremis temporibus *Hiberione* optimè benignè plantata atque instructa erat favente Deo. Non usurpo, partem habeo cum his quos advocavit, & prædestinavit Evangelium prædicare, in persecutionibus non parvis, usque ad extremum Terræ. Etsi invidet inimicus per tyrannidem Corotici, qui Deum non veretur, nec sacerdotes ipsius quos elegit & indulget illis summam, divinam, sublimem potestatem, *quos ligarent super terram, ligatos esse & in cælis*. Unde ergò (quæso) plurimum sancti & humiles corde, adulari talibus non licet, nec cibum nec potum sumere cum ipsis, nec elemosynas ipsorum recipere debere, donec crudeliter

deliter effulis lachrymis satis Deo faciant & liberent servos Dei & ancillas Christi baptizatas, pro quibus mortuus est & crucifixus. *Donna iniquorum reprobata Altissimus, qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Divitia (inquit) quas congregabit injustus evomentur de ventre ejus; trahit illum Angelus mortis. Ira Draconum multabitur, interficiet illum lingua colubri. Comedet autem eum ignis inextinguibilis. Ideoque va qui replent se qua non sunt sua. Vel, quid prodest homini, ut totum mundum lucretur & anima sua detrimentum patiatur?*

Longum est per singula discutere vel insinuare, per totam legem carpere testimonia de tali cupiditate. *Avaritia mortale crimen. Non concupisces rem proximi tui. Non occides. Homicida non potest esse cum Christo. Qui odit fratrem suum, homicida adscribitur, vel, qui non diligit fratrem suum in morte manet. Quanto magis reus est, qui manus suas coinquinavit in sanguine filiorum Dei, quos nuper adquisivit in ULTIMIS TERRÆ, per exhortationem parvitas nostræ.*

Nunquid sine Deo, vel secundum carnem *Hiberione* veni? Quis me compulit alligatus Spiritu, ut non videam aliquem de cognatione mea? Numquid piam misericordiam ago erga gentem illam que me aliquando ceperunt, & devastaverunt servos & ancillas domus patris mei? Ingenuus fui secundum carnem,

nem, *Decorione patre nascor. Vendidi enim nobilitatem meam. Non erubesco, neque me pœnitet pro utilitate aliorum. Denique servus sum in Christo Jesu Domino nostro, etsi mei me non cognoscunt. *Propheta in patriâ suâ honorem non habet.* Fortè non sumus ex uno ovili, neque unum Deum patrem habemus: sicut ait, *Qui non est mecum, contra me est, & qui non congregat mecum, spargit.* Non convenit, *Unus destruit, alter edificat.* Non quæro quæ mea sunt. Non mea gratia. Sed Deus quidem hanc sollicitudinem in corde meo, ut unus essem de *venatoribus*, sive piscatoribus, quos olim Deus in novissimis diebus antè pronunciavit, Invidetur mihi; Quid faciam Domine? Valde despikor. Ecce oves tuæ circa me laniantur atque deprædantur, à supra dictis latrunculis, jubente Corotico, hostili mente (longè est à charitate Dei traditor Christianorum) in manus *Scottorum* atque *Pictorum*. Lupi rapaces deglutierunt gregem Domini, qui utique *Hiberione* cum summa diligentia optimè crescebat; & filii *Scottorum* & filia regulorum monachi & virgines Christi: enumerare nequeo. Quamobrem *injuria iustorum non tibi placeat, etiam usque ad inferos non placebit.* Quis sanctorum non horreat jocundare vel convivio trui, cum talibus? De spoliis defunctorum Christianorum repleverunt domos suas, de rapinis vivunt. Nesciunt miseri venenum, letalem cibum porrigunt ad amicos & filios suos: Sicut *Eva* non intellexit quòd

* Decorione.

quòd mortem tradidit viro suo ; sic sunt omnes qui malè agunt, mortem perennem poenam operantur.

Consuetudo Romanorum & Gallorum Christianorum mittunt viros sanctos idoneos ad *Francos*, & cæteras gentes cum tot mil. solidorum ad redimendos captivos baptizatos. Tu toties interficis, & vendis illos genti exteræ ignorantem Deum, quasi in lupanar tradis membra Christi. Qualem spem habes in Deum ? vel qui te consentit ? aut qui te communicat verbis adulationis ? Deus iudicabit. Scriptum est enim ; *Non solum facientes mala, sed etiam consentientes damnandi sunt.* Nescio quid dicam, aut quid loquar amplius, de defunctis filiorum Dei, quos gladius supra modum durè tetigit. Scriptum est enim, *Flete cum flentibus*, & iterum, *si dolet unum membrum, condoleant omnia membra.*

Quapropter Ecclesia plorat & planget filios & filias suas quas adhuc gladius nondum interfecit, sed prolongati & exportati in longa terrarum, ubi peccatum manifestè gravetur, impudenter abundat. Ibi venundati ingenui homines Christiani in servitutem redacti sunt, præsertim indignissimorum, pessimorum, apostatarumque Pictorum. Idcirco cum tristitiâ & mœrore vociferabor : O speciosissimi atq; amantissimi fratres & filii quos in Christo genui, enumerare nequeo quid faciam vobis ! Non sum dignus Deo neq; hominibus subvenire. Prævaluit iniquitas iniquorum super nos.

Quasi

Quasi extranei facti sumus. Fortè non credunt,
unum baptismum percipimus, vel, unum Deum pa-
trem habemus. Indignum est illis; ^{a Hiberia} nati
 sumus, sicut ait, *Nonne unum Deum habetis? Quid*
dereliquistis unusquisque proximum suum? Idcir-
 co doleo pro vobis, doleo charissimi mihi: sed
 iterum gaudeo intra meipsum, non gratis la-
 boravi, vel peregrinatio mea in vacuum non
 fuit, & contigit scelus tam horrendum, ineffa-
 bile. Deo gratias, creduli baptizati, de seculo
 recessistis, ad Paradisum (cerno) vos migrare
 coepistis, *ubi nox non erit, neque luctus, neque mors*
amplius, Sed exultabitis sicut vituli ex vinculis
resoluti, & conculcabitis iniquos, & erunt cinis
sub pedibus vestris. Vos ergo regnabitis cum
 Apostolis & Prophetis atq; martyribus, æter-
 na regna capietis: sicut ipse testatur (inquit)
Venient ab oriente & occidente & recumbent cum
Abraham & Isaac & Jacob, in regno cælorum:
Foris canes, & venefici, & homicida, & menda-
ces, perjuri: pars eorum in stagnum ignis æter-
ni. Non immeritò ait Apostolus, *Ubi iustus*
vix salvus erit; peccator & impius transgressor
legis, ubi se recognoscit? Unde enim Coroticus
 cum suis sceleratissimis rebellatoribus Christi,
 ubi se videbunt (quum [inter] mulierculas bap-
 tizatas præmia distribuuntur) ob miserum
 regnum temporale, quod utique in momento
 transeat, sicut nubes, vel fumus qui utique ven-
 to dispergitur? Ita peccatores fraudulentè à
 facie Domini peribunt: justi autem epulentur
 in magna constantia cum Christo: *judicabunt*
 nationes

a Hibernia
 qua supra Hi-
 berione, appel-
 labatur, in om-
 nibus exempla-
 ribus hinc appel-
 latur Hiberia.

nationes & regibus iniquis dominabuntur in secula seculorum. *Amen.*

Testificor coram Deo & Angelis suis quod ita erit, sicut intimavit imperitiæ meæ: non mea verba, sed Dei & Apostolorum, atque Prophetarum, (quod ego Latinum exposui) qui nunquam enim mentiti sunt. *Qui crediderit saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Deus locutus est. Quæso plurimum, ut quicumque famulus Dei, ut promptus fuerit, ut sit gerulus literarum harum, ut neutiquam suotrahatur à nemine, sed magis potius legatur coram cunctis plebibus, & coram ipso Corotico. Quod si Deus inspirat illos, ut quandoque Deo resipiscant, & vel serò præniteant quod tam impiè gesserunt homicidæ, erga fratres Domini, & liberent captivas baptizadas quas antè ceperunt, ita ut mereantur Deo vivere, & sani efficiantur hîc & in æternum. Pax Patri, & filio, & Spiritui sancto. **A M E N.**

SYNO.

SYNODUS S. PATRICII.

CAP. I.

De habitatione cum fratribus peccatoribus.

DE eo quod * mandâstis; de habi- * i. Petiistis.
tatione cum fratribus peccatoribus. Et Vincent. in
Audite Apostolum dicentem; cum speculo Histor.
huiusmodi ne cibum quidem sumere; non lib. 30. cap. 130.
ejus escas sumas cum eo. Cæterum si *humiliter ei*
& trituras, hoc est, si Doctor es & doces, non ob- id est, signifi-
turatur tibi os, & dignus es mercede tuâ. Sed cârunt.
oleum peccatoris non impingnet caput tuum: sed
corripe adhuc & argue.

CAP. II.

De Oblationibus eorum.

Contentus tegmento & alimento tuo, cætera
dona iniquorum reprobâ, quia non sumit lucer-
na nisi † quod alitur.

† Leg. quo:

CAP. III.

De Pœnitentia post ruinas.

Statuitur ut Abbas videat, cui attribuetur
potestas

† fortè venia.

potestas alligandi & solvendi, sed aptior est juxta scripturæ exempla, † veniam. Si verò cum fletu & lamentatione & lugubri cum veste, sub custodiâ pœnitentia brevis, quàm longa & remissa cum temperamentis.

CAP. IV.

[De Excommunicato repellendo.]

Audi Dominum dicentem: *Si tibi non audierit, sit tibi velut Gentilis & Publicanus.* Non maledices, sed repelles excommunicatum à communione & mensa, & missa & pace. Et si hereticus est, post unam correptionem evita.

CAP. V.

De Suspectis causis.

Audi Dominum dicentem: *Sinite utraque crescere usque ad messem; hoc est donec veniet qui manifestabit consilia cordium, ne judicium ante diem judicii facias.* Vide Judam ad mensam Domini, & Latronem in Paradiso.

CAP. VI.

De vindictis Ecclesie.

† f. Dictator
autem

Audi item Dominum dicentem: *Qui effuderit sanguinem innocentem sanguis ipsius effundetur, sed ab eo qui portat gladium, † dicitur aut vindictæ innocens habetur.* De cæteris autem per legem Evangelicam, ab eo loco in quo ait; *Et eum qui aufert aliquid à te, ne repetas, sed libenter, si ipse quid referat, humiliter recipias.*

CAP.

CAP. VII.

De Baptismatis incertis.

Statuunt ne rebaptizati [sint] qui Symboli
 † traditione à quocunque acceperunt, quia † Leg. traditi-
 non inficit semen seminantis iniquitas. Sin onem.
 verò, non est rebaptizare sed baptizare. Non
 absolvendos autem lapsos à fide credamus,
 nisi per impositionem manus * accipi. * Leg. accipie

CAP. VIII.

De Reis autem abstractis ab Ecclesiâ.

Non ad reorum defensionem facta est Ec-
 clesia, sed iudicibus persuadendum est, ut spi-
 rituali morte eos occiderent, qui ad sinum ma-
 tris Ecclesiæ confugiunt.

CAP. IX.

Defideratur.

CAP. X.

De Lapsis post gradum.

Audi canonica instituta. Qui cum gradu
 cecidit, sine gradu surgat, contentus nomine
 tantum amittat ministerium, nisi qui tantum
 à conspectu Domini peccans non recessit.

CAP. XI.

De Separatione sexuum post lapsum.

Consideret unusquisque in conscientia suâ,
 si amor & desiderium cessavit peccati, quia
 corpus mortuum non inficit corpus alterius
 mortui, Sin verò, separentur.

D

CAP.

CAP. XII.

De Oblatione pro defunctis.

Audi Apostolum dicentem. *Est autem peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Et Dominus; *Nolite donare sanctum canibus.* Qui enim in vitâ suâ sacrificium non merebitur accipere, quomodo post mortem illi poterit adjuvare?

CAP. XIII.

De Sacrificio.

In nocte Paschæ, si fas est ferre foras. Non foras fertur, sed fidelibus deferatur. Quid aliud significat quod *in unâ domo* sumitur agnus, quam sub uno fidei culmine creditur & communicatur Christus.

CAP. XIV.

*De Abstinenti à cibis.*adventus

Statutum ut Christi adventum sponsi nullas ratas leges inveniat jejunii. Quid autem inter Novatianum & Christianum interest, nisi quod Novatianus indefinenter, Christianus verò per tempus abstineat; ut locus, & tempus, & persona per omnia observetur.

CAP. XV.

De Relinquendâ vel docendâ patriâ.

Docenda patria prius, per exemplum Domini, & derelinquenda postea, si non proficiat,

ficiat, juxta exemplum Apostoli. Sed qui potest proficere, licet periclitatur, ubique doceat, & se ostendat, qui vero non potest, taceat & abscondat: Alius quippe ab Jesu in domum suam mittitur, alius sequi jubetur.

CAP. XVI.

De falsis Episcopis.

Qui non secundum Apostolum electus est ab altero Episcopo, est damnandus; & deinde ad reliquam plebem declinandus & degradandus.

CAP. XVII.

De Proposito Monachorum.

Monachi sunt qui solitarii sine terrenis opibus habitant sub potestate Episcopi, vel Abbatis, Non sunt autem Monachi, sed *Vacillatores* periti, hoc est, contemptores solliciti ad vitam perfectam in ætate perfecta. Hoc est, à viginti annis debet unusquisque constringi non ad testando sed voto perficiendo, ut est illud, *Unusquisque sicut proposuit corde suo faciat, & ut vota mea reddam in conspectu Domini, quia in frigore & nuditate, in fame & siti, in vigiliis & jejuniis vocati sunt.*

*& reliqua
quo voto vi-
vitur, situs
rerum roar-
tat. si sup-
abundantia
in omnibus
debitur,
vita,*

CAP. XVIII.

De tribus seminibus Evangeliorum.

Centesimum, Episcopi & Doctores, qui omnibus omnia sunt; Sexagesimum, Clerici & viduæ qui continentis sunt. Trigesimum Laici qui fideles sunt, qui perfecte Trinitatem

tem credunt. His amplius non est in messe Domini. Monachos verò & virgines cum centesimis jungimus.

CAP. XIX.

Quâ atate baptizandi.

Octavo die Catechumeni sunt, postea solennitatibus Domini baptizantur, id est, Pascha, Pentecoste & Epiphania.

CAP. XX.

De Parochiis.

Cum monachis non est dicendum, quorum malum est inauditum qui unitatem verò plebis non incongruè suscepimus.

CAP. XXI.

De retinendis vel dimittendis Monachis.

Unusquisque fructum suum in Ecclesiâ in quâ imbutus est perfruatur, nisi causa majoris profectus ad tultoris ferre permissio Abbatis cogat. Si verò exierit, causa utilior cum benedictione dicatur, *Ecce agnus Dei*, non quæ sua sunt singuli quærentes, sed quæ *Jesu Christi*. Vocationis autem causam non permittant subditos discurrere.

† f. ulterius.

CAP. XXII.

De sumendâ Eucharistiâ, post lapsam.

Post examinationem carceris sumenda est, maxime autem in nocte Paschæ, in quâ qui non

non communicat, fidelis non est. Ideo brevia sunt & stricta apud eos spatia, ne anima fidelis intereat tanto tempore jejuna medicinæ; Domino dicente; *nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

CAP. XXIII.

De Juramento.

Non jurare omnino. De hoc consequente lectionis series docet, non adjurandam esse creaturam aliam, nisi creatorem; ut prophetis mos est. *Vivit Dominus & vivit anima mea, & vivit Dominus cui assisto hodie.* Finis autem contradictionis est nisi Domino. Omne enim quod amat homo, hoc & juratur.

CAP. XXIV.

De Contentione duorum absque testibus.

Statuunt ut per quatuor sancta Evangelia, antequam communicet, testatur quid probatur, & deinde sub iudice fama relinquatur.

CAP. XXV.

De Thoro fratris defuncti.

Audi decreta Synodi super istis. Frater thorum defuncti fratris non ascendat, Domino dicente. *Erunt duo in carne una.* Ergo uxor fratris soror tua est.

CAP. XXVI.

De Meretrice conjuge.

Audi Dominum dicentem : *Qui adhaeret Meretrici unum corpus efficitur, Item, Adultera lapidetur, id est, huic vitio moriatur, ut desinat crescere quæ non desinit mœchari. Item si adulterata fuerit mulier, nunquid revertitur ad virum suum priorem? Item non licet viro dimittere uxorem nisi ob causam fornicationis: ac si dicat, ob hanc causam. Unde si ducat alteram velut post mortem prioris, non vetant.*

CAP. XXVII.

De Voluntate Virginis, vel Patris, in conjugio.

Quod vult Pater, faciat virgo, quia *caput mulieris vir.* Sed requirenda est à patre voluntas virginis, dum *Deus relinquit hominem in manibus consilii sui.*

CAP. XXVIII.

De primis vel secundis Votis.

Eadem ratione observanda sunt prima vota, & prima conjugia, aut secundis prima non sint irrita, nisi fuerint adulterata.

CAP. XXIX.

De Consanguinitate in conjugio.

Intelligite quid lex loquitur, non minùs nec plus. Quod autem observatur apud nos, ut quattuor genera dividantur, nec vidisse dicunt nec legisse.

CAP.

judicet judicia Ecclesiæ.

II. *De subjectione Populi Principi.*

Ministri vos estis, & unusquisque vestrum Principem suum cui adsistat & ministrat, timeat.

III. *De Pœnitentia blasphemantis Principem bonum.*

Qui murmurat verba blasphemix contra Principem bonum, per odium aut invidiam, cum pane & aquâ pœniteat septem diebus, exemplo *Maria* contra *Moysem* murmurantis.

IV. *De eo quod incertum sit utrum priorem gradum Episcopus post lapsum recipiat.*

Patricius Episcopus dicit: Qui sub gradu peccat debet excommunicari: quia magna est dignitas hujus nominis; tamen potest redimere animam suam post pœnitentiam: ad priorem gradum venire difficile. Nescio annon. Deus scit.

V. *De Recipienda adultera post pœnitentiam: & de quantitate pœnitentie.*

Si alicujus uxor fornicata fuerit cum alio viro, non adducet aliam uxorem quam diu viva fuerit uxor prima. Si fortè conversa fuerit & agat pœnitentiam, suscipiet eam, & serviet ei

ei in vicem ancillæ, & annum integrum in pane & aquâ per mensuram pœniteat, nec in uno lecto permaneant.

V I. *De alienis adeundis ad iudicandum.*

Si quæ quæstiones in hâc Insulâ oriantur, ad sedem Apostolicam referantur.

V II. *De Pœnitentiâ agendâ in ultimo spiritu.*

Si quis infirmatur, agat pœnitentiam, etiam ex necessitate, quia misericors est Deus.

V III. *De eo quòd insipientes præesse non debent.*

Synodus totius mundi, & Patricius decrevit, Qui insipiens est, nullo modo præesse liceat, sed sub manu Abbatis catholici opus suum exerceat.

I X. *De Collecturâ pecunie non vituperandâ, necessitate cogente.*

Patricius ait si quis acceperit permissionem Pontificis, & collectum sit pretium captivi, non plus exigerit quàm necessitas poposcit. Si quid supra remanserit, ponat super altare, & indigentibus detur & captivi.

Item si quis colligit pecuniam sub nomine misericordiæ, non audeat spoliare Ecclesiam Dei, sed Reges & plebiles, quibus melius est dare quàm recondere.

Incipit

Incipit Synodus EPISCOPORUM,
 id est, *Patricii, Auxilii,*
Issernini.

GRatias agimus Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Presbyteris & Diacombus, & omni Clero; *Patricius, Auxilius & Isserninus* Episcopi, Salutem.

Satius nobis negligentes præmonere [quàm] culpate quæ facta sunt. Salomone dicente, *Melius est arguere quàm irasci.* Exempla Definitionis nostræ interiùs conscripta sunt, & sic inchoant.

1. Si quis in quæstionem captivis quæsierit in plebe, suo jure, sine permissione, meruit excommunicari.

2. Lectores denique cognoscant unusquisque Ecclesiam in quâ psallat.

3. Clericus vagus non sit in plebe.

4. Si quis permissionem acceperit, & collectum sit pretium, non plus exigat, quàm quod necessitas poscit.

5. Si quid supra manserit, ponat super altare Pontificis, ut detur alii indigenti.

6. Quicumque clericus, ab hostiario usque ad Sacerdotem, sine tunicâ visus fuerit, aut turpitudinem ventris & nuditatem non tegat:

Et

Et si non more Romano capilli ejus tonsi sint:
& uxor ejus si non velato capite ambulaverit,
pariter à Laicis contemnentur, & ab Ecclesiâ
seperentur.

7. Quicumque clericus vssus negligentia
causâ, ad collectas mane vel vespere non
occurrerit, alienus habeatur, nisi fortè jugo
servitutis sit detentus.

8. Clericus si pro gentili homine fide jus-
sor fuerit in quacûnque quantitate; Et si con-
tingerit, (quod mirum non + potest) per astu-
tiam aliquam, gentilis ille clerico fallat rebus
suis, Clericus ille solvat debitum: Nam si
armis compugnauerit cum illo, meritò extra
Ecclesiam computetur.

† est. Sic lib.
Cotton.

9. Monachus & virgo, unus ab hinc, &
alia ab aliunde, in uno hospitio non comma-
neant, nec in uno curru, à villâ in villam
discurrant, nec assiduè invicem confabulatio-
nem exercent.

10. Si inceptum boni operis ostenderit in
psallendo, & comam habeat, ab Ecclesiâ ex-
cludendus, nisi statui priori se restituerit.

11. Quicumque clericus ab aliquo excom-
municatus fuerit & alius eum susceperit, am-
bo coæquali pœnitentâ utantur.

12. Quicumque Christianus excommuni-
catus fuerit nec ejus eleëmofyna recipiatur.

13. Eleëmofynam à Gentibus offerendam
in Ecclesiam recipi non licet.

14. Christianus qui occiderit, aut for-
nicationem fecerit, aut more Gentilium
ad

† Qui haru-
garum, i.e. bo-
stiarum extra
inspēlat, ad
futurorum
eventum inde
cognoscendum.
vid. Had Jun.
Nomenclator.

† Festo accipi-
tur pro maleficā
muliere, quæ &
Volatica &
strix antiquitās
dicebatur.

ad taruspicem meaverit, per singula crimina annum pœnitentiæ agat: impleto, cum testibus veniat anno pœnitentiæ, & postea resolve-
tur à sacerdote.

15. Et qui furtum fecerit, dimidium pœniteat, viginti diebus cum pane, & si fieri potest, rapta representet: sic in Ecclesiam re-
nuetur.

16. Christianus qui crediderit esse † *Lamiam* in speculo, quæ interpretatur *Striga*, anathematizandus, qui cūnque super animam, famam istam imposuerit: nec antè in Ecclesiam recipiendus, quàm ut idem criminis quod fecit suâ iterum voce revocet: Et sic pœnitentiâ cum omni diligentia agat.

17. Virgo quæ voverit Deo, permanet casta, & postea nupserit carnalem sponsum, excommunicationis sit donec convertatur. Si conversa fuerit, & dimiserit adulterium, pœnitentiâ agat, & postea non in una domo nec in una villa habitent.

18. Si quis excommunicationis fuerit, nec nocte Pascharum in Ecclesiam [non] introeat, donec pœnitentiâ recipiat.

19. Mulier Christiana quæ acceperit virum honestis nuptiis, & postmodum discesserit à primo, & junxerit se adulterio, quæ hæc fecit excommunicationis sit.

20. Christianus qui fraudat debitum cuiuslibet ritu gentilium, excommunicationis sit donec solvat debitum.

21. Chri-

21. Christianus cui dereliquerit aliquis, & provocat eum in † ductum & non in Ecclesi- † f. iudicium.
am, ut ibi examinetur causa, qui sic fecerit alienus sit.

22. Si quis tradiderit filiam suam viro honestis nuptiis, & amaverit alium & consentit filiae suae, & acceperit dotem, ambo ab Ecclesia excludantur.

23. Si quis Presbyterorum Ecclesiam edificaverit, non offerat antequam adducat suum Pontificem, ut eam consecret, quia sic decet.

24. Si quis advena ingressus fuerit plebem, non ante baptizet neque offerat, neque consecret, nec Ecclesiam aedificet, † nec permissionem accipiat ab Episcopo: Nam qui à Gen- † donec.
tibus sperat permissionem, alienus sit.

25. Si quae à religiosis hominibus donata fuerint, diebus illis quibus Pontifex in singulis habitaverit Ecclesiis, Pontificalia dona, sicut mos antiquus, ordinare, ad Episcopum pertinebunt, sive ad usum necessarium, sive egentibus distribuendum, prout ipse Episcopus moderabit.

26. Si quis verò clericus contravenerit, & dona invadere fuerit deprehensus, ut turpis lucri cupidus ab Ecclesia sequestretur.

27. Clericus Episcopi in plebe quislibet novus ingressor, baptizare & offerre illum non licet, nec aliquid agere: qui si sic non faciat, excommunicationis sit.

28. Si quis Clericorum excommunicationis fuerit solus, non in eadem domo cum aliis orationem

tionem faciat : nec offerre nec conservare licet, donec se faciat emendatum, qui si sic non fecerit, dupliciter vindicetur.

29. Si quis fratrum accipere gratiam Dei voluerit, non antè baptizetur, quàm quadragessimum agat.

30. Episcopus quislibet qui de suâ in alteram progreditur parochiam, nec ordinare præsumat, nisi permissionem acceperit ab eo qui in suo principatu est : Die Dominicâ offerat tantùm susceptione, & obsequi hîc contentus sit.

31. Si quis conduxerit è duobus clericis quos discordare convenit per discordiam aliquam prolatum uni è duobus hostem ad interficiendum homicidam congruum est nominari; qui clericus ab omnibus rectis habetur alienus.

32. Si quis Clericorum voluerit juvare captive, cum suo pretio illi subveniat : nam si per furtum illum inviolaverit, blasphemantur multi Clerici per unum latronem : qui sic fecerit excommunicationis sit.

33. Clericus qui de Britannis ad nos venit sine Epistolâ, etsi habitet in plebe, non licitum ministrare.

34. Diaconus nobiscum similiter, qui inconsulto suo Abbate, sine literis in aliam parochiam † adsentiat, nec cibum ministrare decet : Et à suo Presbytero quem contempsit, per pœnitentiam vindicetur : Et monachus inconsulto Abbate vagulus debet vindicari.

Finunt Synodi Instituta.

† *absentat.*

Canones alii

S. P A T R I C I O

attributi, è Codice M S.

Collegii Benedictini Cantabrigiæ descripti.

I.

De unitate subditorum.

Quis ergò audet scindere unitatem, quam nemo homin in solvere vel reprehendere potest. † *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una, & nulla erat separatio in eis, nec quisquam ex bonis suis dicebat esse aliquid: sed erant illis omnia communia. Gratiâ quoque erat magna super illos omnes, nec in eis aliquis indigens: Nam quicunque possessores agrorum aut domorum erant vendentes adferebant pretia illorum & ponebant ante [pedes] Apostolorum, & dividebatur unicuique ut opus erat. Deinde; Quidam autem vir nomine Ananias, &c. usque ad illa verba: Audiens autem Ananias hæc verba cecidit & expiravit.*

† Act. Apostolorum.

II.

De furto in Ecclesiâ peractò.

Qui furatus fuerit pecuniam ab Ecclesiâ sanctâ,

sanctâ, ubi Martyres & corpora Sanctorum dormiunt, illius manus vel pes circumcidatur, aut in carcerem mittatur, aut in peregrinationem ejiciatur & restituat duplum: Et jurabit quod non revertetur donec impleverit poenitentiam.

III.

De veris viduis.

De veris viduis *Paulus*: Vidua eligatur non minus annorum LX, unius viri uxor. Nota: Si plures viros habuerit, vidua non fit.

Adjiciuntur deinde mox sequentes duo Canones: sed an S. Patricii, vel cujus sint, è M. S. Benedictino non liquet. Eorum verò posterior in codice Cottoniano Canonum tit. 66. disertè Synodo Hiberniensi adscribitur.

I. De eo quod non repudianda sit, si sterilis, si deformis est, si atate vetula, si foetida, si temulenta, si iracunda, si jurgatrix, tenenda sit velis nolis. Qualiscunque accepta sit tenenda est.

II. Omnis adulter sive à concelebratione, sive à communicatione mensæ, sive à conloquio sive à comitatu, usque dum poeniteat, excludendus est.

Proverbia aliqua

S. PATRICII.

Patricius dicit, Satius est nobis negligentes præmonere, nè delicta abundant, quàm culpæ quæ sunt facta. Salomon, *Melius est arguere, quàm irasci.*

Patricius ait; Non oportet Judices Ecclesiæ habere timorem hominum, sed timorem Dei; quia timor Dei principium sapientiæ est.

Non oportet Judices Ecclesiæ Dei habere sapientiam hujus mundi, quia sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum: sed sapientiam Dei habere.

Non oportet Judices Ecclesiæ munera suscipere: quia munera excæcant oculos sapientium, & mutant verba justorum.

Non oportet Judices Ecclesiæ habere personam in judicio: quia non est acceptio personarum apud Deum.

Non oportet Judices Ecclesiæ cautelam secularem habere, sed exempla divina: quia non oportet servum Dei cautum esse vel astutum.

Non oportet Judices Ecclesiæ tam veloces
E esse

esse in iudicio, donec sciant quàm verum fiat
quod scriptum est: *Noli Iudex esse citò.*


Non oportet Iudices Ecclesiæ volubiles
esse.

Non oportet Iudices Ecclesiæ mendacium
dicere: quia magnum crimen est mendaci-
um. Sed oportet Iudices Ecclesiæ rectum ju-
diciū iudicare: quia in quocunque iudicio
iudicaverint, iudicabitur de eis.

Patricius [ait] Exempla majorum perqui-
re, ubi nihil fallaciæ invenies.

Patricius ait. Iudices qui non rectè iudicant
iudicia Ecclesiæ, non Iudices, sed falsatores
sunt.

S. P. A.



SANCTI PATRICII
EPISCOPI, De tribus Habita-
taculis LIBER.

TRia sunt sub omnipotentis Dei nutu
habitacula : primum, imum, medi-
um. Quorum summum, regnum Dei
vel regnum cœlorum dicitur ; imum
vocatur infernus; medium mundus præsens,
vel orbis terrarum appellatur. Quorum ex-
trema omnino sibi invicem sunt contraria,
& nullâ sibi societate conjuncta. *Quæ enim so-
cietas potest esse luci ad tenebras, & Christo ad
Belial?* Medium verò nonnullam habet simi-
litudinem ad extrema, unde lucem habet
& tenebras, frigus & calorem, dolorem &
sanitatem, lætitiâ & mœrorem, odium &
amorem, bonos & malos, justos & injustos,
Dominos & servos, mortem & vitam, reg-
num & subjectionem, famem & satietatem,
& innumerabilia hujusmodi: quorum omni-
um pars una imaginem habet regni Dei, pars

2. Cor. 6.

altera, Inferni. Commixtio namque malorum simul & bonorum in hoc mundo est. In regno autem Dei nulli mali sunt, sed omnes boni; at in Inferno, nulli boni sunt, sed omnes mali: Et uterque locus ex medio suppletur. Hominum enim hujus mundi alii elevantur: ad Cœlum, alii trahuntur ad infernum. Similes quippe similibus junguntur, id est, boni bonis, & mali malis; justi homines justis Angelis, transgressores homines transgressoribus Angelis; servi Dei, Deo, servi diaboli, diabolo. Benedicti vocantur ad regnum sibi paratum ab origine mundi: Maledicti expelluntur in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis ejus. Bona autem regni Cœlestis dicere, vel cogitare, vel intelligere, ut sunt, nullus potest carne vestitus. Multo enim majora & meliora sunt quam cogitantur, vel intelliguntur. Unde scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; quæ præparavit Deus diligentibus se. Regnum Dei omni famâ majus est, omni laude melius, omni scientiâ innarrabilis, omni gloriâ quæ putatur præcellentius. Mala etiam inferni dicere, vel cogitare, ut sunt, nemo potest. Pejora quippe sunt valdè, quam cogitantur, vel dicuntur.

Regnum itaque Dei plenum est lucis, & pacis, & caritatis, & sapientiæ, & gloriæ, & honestatis, & dulcedinis, & dilectionis, & melodix, & lætitiæ, & beatitudinis perennis, & omnis boni ineffabilis, quod nec dici nec cogitari

Mat. 25.

1. Cor. 2

gitari potest. At contrà, lacus inferni plenus est tenebrarum, & discordiæ, odii & stultitiæ, miseriæ, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, fœtoris, adustionis, sitis, famis, ignis inextinguibilis, tristiæ, vindictæ perenni, omnis mali ineffabilis, quod nec dici nec cogitari potest.

Cives Cœli sunt justii homines & Angeli, quorum princeps est Deus omnipotens; at contrà, Cives inferni sunt homines impii & demones, quorum princeps est Diabolus. Satiat justos visio sanctorum hominum & Angelorum, & super omnia ipsius Dei: cruciat impios & peccatores visio hominũ damnatorũ & demonũ, & super omnia ipsius diaboli. Nihil in regno Dei desideratur quod non inveniatur: at in inferno nihil invenitur quod desideratur. In regno Dei nihil invenitur nisi quod placet, & delectat, & satiat: at contra in lacu miseriæ perennis nihil videtur nihilq; sentitur, nisi quod displicet, nisi quod offendit, nisi quod cruciat. Omne bonum in regno Dei abundat, & nullum malum; omne malum in carcere diaboli abundat, & nullum bonum. Nullus indignus in regno Dei suscipitur, nullus verò dignus, nullus justus ad infernum trahitur.

Principalia autem sunt duo tormenta in inferno, id est, frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis. Unde in Evangelio legitur: *Illic enim erit fletus, & stridor dentium.* Fletus namq; & liquefactio oculorum de calore nascitur; stridor verò de frigore

Mat. 8

Job. 24.

oritur. Hinc etiam beatus *Job*; *De aquis, inquit, nivium transibunt ad calorem nimium.* De quibus scilicet duobus innumera pendent poenarum genera: Videlicet fitis intolerabilis, poena foetoris, poena famis, poena horroris, poena timoris, poena angustiae, poena tenebrarum, severitas tortorum, praesentia daemorum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium, vermis conscientiae ignitae, lacrimae, suspiria, miseria, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors aeterna, poena sine fine, absentia Christi post visionem ejus; quae sola omnia supradicta superat, & omnibus poenis fit intollerabilior. Vae igitur his perennè qui subire haec omnia mala & sine fine merentur pro delectabili unius horae somnio. (talibus enim & tanta omnis hujus mundi gloria, ad aeternae vitae comparata gloriam.) Melius erat eis, quod dictum est de infelici *Judà*, non nasci; quam malis suis meritis plagas inferni sustinere.

Mat. 26.
Mar. 14.

Quid stultius, quidve insanius est, quam umbram & imaginem & similitudinem verae gloriae, verae delectationis, verae pulchritudinis, veri decoris, veri honoris, more infantium decipi & superari; & ipsam veram gloriam non quaerere, non desiderare.

Quis auri imaginem in aquam ipso auro neglecto, eligeret; & non statim a cunctis fatuus vel insanus esse crederetur? Quis orbem Solis in speculo redditum, vel in qualibet materia

teria formatum plus diligeret quam ipsum Solem; & non ab omnibus derideretur? Sic utique, sic deridendus, immo dolendus, quisquis hujus mundi caducam gloriam, fragilem & inutilem carnis voluptatem diligit, quarit, contendit; æternam gloriam contemptam, & neglectis regni cœlestis ineffabilibus gaudiis. Hoc commentum insipientium valde est & miserorum, & cor sanum non habentium; etiamsi plagæ inferni non sequerentur, quæ nec dici possunt nec cogitari.

Duplex verò plaga est, abesse à regno Dei & esse semper in inferno, abesse à regno Dei Christi, & cum diabolo damnari; præsentiam amittere Angelorum, & terribilem dæmonum semper pati præsentiam: quod quantum caveri, vitari, metui debet, nullo modo dici potest. Quis cum sano sensu pro unius diei deliciis centum annorum pœnas eligeret? & miseri tamen, & sine ulla sapientia voluptatem carnis sequentes, non vitant, non effugiunt intolerabiles pœnas, non centum annorum, non millies mille, sed omnium sine fine seculorum, pro quadraginta vel sexaginta annorum deliciis, vel qualibet corruptibilis vitæ delectatione. Quantum autem interest inter unum diem & centum annos, non tantum utique sed plus interest inter quadraginta vel sexaginta vel centum annos, ad æternitatem, sive in bono sive in malo futuram. Unus enim dies aliqua proportio est in centum annorum spatio, quamvis valde modica. At verò cen-

tum annorum spatium nulla proportio est in illa æternitate. Si enim, verbi gratia, centesima vel millesima pars esset; prædictam ejus spatium post centuplum ejus spatium vel milipli in æternitas esse desineret. Quod ratio non finit æternitatis, quæ si ullo modo, ullo tempore finiretur, æternitas omnino non esset.

¶ al. voluptati.

Fortiter ergo carnali resistendum est * voluntati, fortiter contra fallaces hujus mundi blanditias pugnandum est, contraque multimodas Satanae suggestiones vigilandum omnifudio. *Lata via* Seculi vitanda est, quæ ducit ad mortem. At verò omni cordis desiderio *via angusta*, quæ ducit ad vitam, adenda est & appetenda. Via autem angusta est via abstinentiæ, & castitatis & humilitatis, & omnis religionis; Quam viam ante nos Christus attrivit; quâ viâ ad summum regnum migravit: cujus vestigia & nos sequamur, donec post eum eadem viâ ad urbem regiam perveniamus, in quâ ipse regnat.

Mat. 7

De qua urbe quicquid homo dixerit, quasi stilla de mari est, vel quasi scintilla de foco. In qua videlicet urbe *fulgebunt iusti sicut sol*, ut Dominus ait. Ubi summa pax erit, summa quies, nullus labor, nullus dolor, nulla paupertas, nec senectus, nec ulla mors, nec ulla nox, nullum cibi desiderium, nullum sitis incendium: sed cibus & potus omnium, visio Christi & Sanctæ Trinitatis, & contemplatio puro cordis oculo ipsius Divinitatis, & assidua lectio (ut ita dicam)

Mat. 13.

libri vitæ, id est, æternæ veritatis, & summæ sapientiæ & verbi Dei, quæ est Jesu Christi visio, ubi quicquid nunc nos latet manifestius erit. Ubi ratio manifesta erit, cur hic electus est, & ille reprobatus; cur hic in regnum assumptus est, & ille reprobatus, in servitutem redactus, cur alius in utero moritur, in infantia alius, alius in juventute, alius in senectute; cur alius dives est, alius pauper; cur filius adulteræ baptizatur, & aliquando filius legitimæ conjugis ante baptismum moritur, cur qui benè incipit vivere aliquando malè finit: hæc omnia & hujusmodi multa, in libro vitæ plana & aperta erunt. In eadem urbe præmium singulorum & gloria singulorum per caritatem omnium erunt. Ibi omnium bona omnibus patebunt: ibi suas invicem cogitationes cognoscent. Ibi nullus superbus superior erit, nullus inferior invidus: quomodo enim qui omnes sicut semetipsum diliget, alicui invidere poterit; cum nemo sibi ipsi invidet? Ibi nullus esse meliùs vel superiùs concupiscet, quàm erit; quia aliter esse quàm meretur, non decorem præstabit sed deformitatem. Nemo autem vult esse se deformem: nemo igitur aliter esse desiderabit quàm erit; quia ita esse ut erit pulchrum erit, non solum sibi, sed etiam universo corpori Ecclesiæ cælestis. Quomodo enim quodlibet membrum in corpore, si superiùs vel inferiùs ponatur quàm natura constituit, monstruosum efficit corpus & turpe: sic nimirum si aliquis in regno
Dei

Dei superius vel inferius ordinetur quam postulat ars & voluntas omnipotentis artificis, turpitudinem efficit non solum sibi, sed omni congregationi. In qua qui erit minimus, majorem sine dubio habebit gloriam, quam totum hujus mundi regnum possidet, etiamsi aeternum esset. Vile enim valde est elementis frui in comparatione fruendi & gaudendi ipso Deo; & visibilibus delectari & corporalibus. Nihil est comparandum delectationi & gaudio quod nascitur ex invisibilibus & incorporeis, & ex societate Angelorum & justorum hominum, & ex certa scientia & cognitione ipsius divinae naturae, & ipsius Dei facie ad faciem visione. Cujus pulchritudinem mirantur Angeli, cujus imperio suscitantur mortui, cujus sapientia non est numerus, cujus regnum nescit finem, cujus gloria nequit narrari, cujus lux tam solem obscurat, ut in ejus comparatione nullam Sol habeat lucem. Cujus dulcedo tam mel superat, ut ei comparatum velut absinthium sit amarissimum. Cujus faciem si omnes carcere inclusi viderent, nullam poenam, nullum dolorem, nullamque tristitiam sentirent: cujus praesentia si in inferno cum suis habitatoribus apparet; continuo infernus in amoenum converteretur Paradisum. Cujus sine nutu nec folium de arbore cadit. Cujus oculus flammivomi profundum circumspicit inferni: cujus auris tacitam cordis vocem audit, id est, cogitationem. Cujus oculus non minus audit quam videt;

† al. congaudendi.

Psal. 146

videt; cuius auris non minùs videt quàm audit: quia non corpus sunt, sed summa sapientia; & certa cognitio. Cujus deliciae sine fastidio satiant: quæ cum ab eis inveniuntur, semper tamen desiderantur, & esuriam & sitim sine pœna efficiunt, id est, ardenti semper desiderio delectant. Cujus secreta mirabilia videntibus ea semper nova & mira sunt; & non plus cùm incipiunt videri pariunt stuporem cernentibus, quàm post mille annos & millies mille. Et cùm Angeli ab initio mundi ea soliti sunt videre, tamen non minùs hodie admirantur ea quàm in primo die: alioquin dudum coram Angelis assiduo videndi usu vilescerent. Cujus cognitioni præterita & futura, non præterita & non futura sunt, sed præsentia: unde nec diem iudicii videbit, & primum diem seculi non vidit; sed utrumque videt.

Cujus præscientia neminem cogit ad peccandum: ut multi errantes dicunt. Si enim, inquit, præscivit Deus *Adam* peccaturum esse; non peccare non potuit. Ex quo errore nascitur, Deum causam esse peccati: quod nefas est dicere. Illi tamen etiam suis verbis alligantur. Si enim quod præscientia Dei habet, necesse est fieri, ideo voluntate propria homo peccavit, & non aliquâ necessitate: quia in præscientiâ Dei fuit ut voluntate & libero arbitrio, & non necessitate cogente, peccaret. Si ergo præscientia Dei non potest vitari; non potuit homo aliter peccare nisi voluntariè

luntariè, nullâ aliâ vi cogente: quia ita Deus præscivit illum peccaturum. Si ergo voluntariè, non coactus: nam si coactus esset; pœnam mortis non susciperet: Si autem non coactus est ad peccandum, [quod] potuit sine dubio non peccare si vellet; ideoq; pœnâ meruit; quia non invitus peccavit: alioquin à Deo iusto pœnam mortis non susciperet.

Cujus locutio est occulta inspiratio, quâ mentibus suam voluntatem & suam veritatem invisibiliter ostendit: quam videndo Angeli per omnia ei obediunt. Cujus laus est, quâ electos laudabit; manifestatio quâ suorum bona omnibus manifestabit electorum: assidua autem laus quâ electi eum laudabunt, est admiratio ejus perennis.

Qui miro modo, non tempore, præcessit mundum & tempus. Nullius enim horæ spatio fuit ante mundum: & tamen semper erat sine initio. Non enim tempus erat ante tempus: tempus autem cum mundo creatum est. Si igitur tempus ab initio mundi cœpit currere, ante mundum factum non erat. Ideoque, nullo tempore, ut prædiximus, præcessit Deus tempora, & mundum ei cœvum, immo eis paulo priorem; ejus enim motu cœperunt currere, quicquid enim movetur, suum motum præcedit.

Ineffabili enim æternitate præcessit Deus mundum, non tempore, cujus tempus ante mundum non erat, cujus lux tenebras depellit ignorantia: cujus aliqua particula hæc omnia

omnia quæ diximus, vera & certa esse cognoscimus. Eadem luce melius esse verum, quam falsum videmus; & tamen pejus esse verum malum vel verum peccatum, quàm falsum malum vel falsum peccatum. Sed si eo malum vel peccatum est, quo verum malum vel peccatum est: (aliter enim non posset esse peccatum vel malum; nisi verum esset peccatum vel malum; falsum malum enim malum non est, ut falsum argentum non est argentum) potest aliquis dicere, à veritate malum vel peccatum ortum esse vel factum, & quodam modo opus esse veritatis malum, quod omnino falsum est. Omne enim verum à veritate est; & omne verum, quantum verum, bonum est; à veritate igitur est verum esse ut sit malum vel peccatum. Aliud namque est ipsum malum, aliud est verum esse illud. Quamvis igitur ipsum malum non est bonum, bonum tamen verum est, ut sit illud. Nisi enim bonum esset esse malum, nullo modo, fieret Deus illud fieri. Multa quippe bona de malis omnipotens facit: ut de adulterio hominum bonos format & facit homines.

Si autem quadam illius lucis particulâ, quasi per angustas rimas infusâ, hæc & alia omnia quæ notificamus vera esse cognoscimus: quali & quanta luce scientiæ & sapientiæ illic illustrabimur, ubi ipsum Solem veritatis, facie ad faciem videbimus, id est, certa & vera
scien-

scientiã cognoscemus? cujus præsentia similes ei facit præsentia. Qui enim veræ sapientiæ, veræ pulchritudini, veræ æternitati adheret; sapiens utique, & pulcher, & æternus erit. Sic etiam absentia ejus d[omi]n[us] similes ei omnino facit. Cujus [æternitas] sine initio & sine fine est. Si enim esset tempus quando non esset, quis eum faceret? quia ipse est solus Deus, & ante eum Deus alius non erat, nec est, nec erit. Num forte se ipse creavit? cùm nihil se ipsum creat. Quã enim potentiã qui omnino non esset, seipsum faceret? Restat igitur quia omnino non factus est Deus. Cùm ergo Deus nullo modo factus est, sine initio ante omnia erat. Quicquid est initium habet: & quicquid initium habet sine dubio factum est, non ab alio nisi à Deo; non factio sed factente. Cujus scientia sine ullâ varietate cogitationis, & sine ullo discursu huc & illuc innumerabilem varietatem omnium creaturarum, Angelorum, hominum, stellarum, arenarum, capillorum, verborum, cogitationum, momentorum omnium, simul, semel & semper comprehendit & intelligit. Fons igitur & origo omnis scientiæ Deus est; quem quanto plus quis bibat, tanto plus sitiet.

Incomparabiliter ergo totius mundi regno (ut supra diximus) etsi æternum esset, præcellit societati Angelorum & sanctorum, & præsentia ipsius Dei adesse visione. In cujus visione trina scientia nascitur: id est, quã homo cernit & Deus qui cernitur, & cæteri omnes

nes & omnia videbuntur, id est, intelligentur. Sicut enim per speculum vitreum trina nobis visio administratur, quâ nos ipsos, & ipsum speculum, & quicquid præsens adest videmus: sic per speculum divinæ charitatis, & ipsum Deum ut est videbimus, (quantum possibile erit creaturæ) & nos ipsos & cæteros verâ & certâ scientiâ cognoscemus. Tunc abdita creaturarum & ipsius interni videndo, Deum videbimus. Tunc justis manifestum erit quomodo Deus est invisibilis, incommutabilis, sine initio & sine fine: ante omnia & post omnia: quicquid interest inter nasci quod ad filium pertinet, & procedere quod ad spiritum sanctum; excepto quod ad relationem pertinet. Nam sapientia Dei, & veritas, & æternitas non diversa sunt, sed unum sunt, sicut cætera omnia. Sapientia enim Dei non magis sapientia quàm veritas; & non magis veritas quàm sapientia, quàm æternitas, quàm cætera Dei omnia. Unum enim sunt in Deo, & non solum hæc inter se eadem sunt in Deo, sed non aliud sunt quàm ipse Deus. Et quomodo mundus erat in Deo antequàm in seipso eiset, non mundus sed Deus; & quomodo ubique, totus sine loco, magnus sine quantitate, bonus sine qualitate, & quomodo omnia penetrat, munda & immunda sine sui pollutione. Si enim lux ista visibilis omnia loca illustrat, & sterquilinia etiam penetrat sine sui fœtore, & sine sui pollutione: quanto magis Deus qui est lux invisibilis & in-

commu-

commutabilis, omnia penetrat, regit, sustinet, circumdat, illustrat, sine ulla mutatione vel pollutione, non solum cœlestia & terrestria, sed etiam infernalialia.

Tunc erit electis trina visio, id est, *Corporealis*, quâ corpora cernentur quorundam splendenda ut Sol, quorundam ut Luna, aliorum ut lucernæ, aliorum ut stellæ: Et *Spiritualis*, quâ similitudines corporum in spiritu non fallaci phantasiâ inspicient, quâ visione etiam hodiè fruuntur Spiritus Justorum post corporum claustra: Et visio *Intellectualis*, qua puro mentis oculo, ipsum Deum videbunt, & suas animas, & virtutes intimas, & Spiritus Angelicos. Tunc duplices Deo acturi sunt gratias, pro sua videlicet liberatione à perpetua damnatione, & pro bonorum ineffabilium retributione. Tunc communis omnium reus & hostis diabolus in conspectu omnium Dei electorum damnabitur, cujus damnatio & intolerabilis pœna delectabile spectaculum præstabit electis. Tunc ardentissimo amore liberatorem suum, & omnium bonorum remuneratorem donabunt: Et sine fine, & sine * fastigio, clamore cordis laudabunt Deum omnipotentem, benignum, iustum, misericordem, cui honor & gloria, & nunc & per omnia secula seculorum. AMEN.

* fastidio, melius in codice
M. S. M. Guil.
Mori.

CHARTA

CHARTA
S. PATRICII.

A. D.
425

IN nomine Domini nostri Jesu Christi,
 Ego *Patricius* humilis servumulus Dei, an-
 no Incarnationis ejusdem a quadringente-
 simo vigesimo quinto, in Hiberniam a san-
 ctissimo Papa Celestino legatus, Dei gratia Hi-
 bernicos ad viam veritatis converti. Et cum
 eos in fide Catholicâ solidâsem; tandem in
 Britanniam sum reversus; ac, ut credo, duce
 Deo, qui *vita est & via*, incidi in Insulam
Inswytryn, in qua inveni locum sanctum ac
 vetustum, a Deo electum & sanctificatum, in
 honore intemeratæ virginis Dei genetricis
Mariae. Ibi que reperi quosdam fratres rudi-
 mentis Catholicæ fidei imbutos, & piæ con-
 versationis, qui successerunt discipulis sancto-
 rum Phagani & Diruviani, quorum nomina,
 pro vitæ meritis, veraciter credo scripta in
 cœlis. Et quia in memoriâ æternâ erunt justî,
 cum eisdem fratres tenerè dilexissim, eorum
 nomina scripto meo redigere b volui, quæ sunt:
 Brumban, Hyregaan, Bremwal, Wencreth,
 Bantommeweng, Adelwolred, Loyor, Wel-
 lias, Breden, Swelwes; Hinloernus, & alius
 Hyn. Hi cum essent nobilibus orti natali-
 bus,

*a Ita etiam ha-
 betur in magnâ
 Tabulâ Glasto-
 niensis Ecclesie.
 Sed in Johan.
 Tinnubensi &
 Joh. Capgra-
 vio, legitur
 430. Atque ita
 aliâ manu cor-
 rectum est in
 codice M S.
 Guil. Malmes-
 bur. Collegii S.
 Trinitatis Can-
 tabrigiæ.*

*b Tab. Glaston,
 decrevi.*

bus, nobilitatem suam fidei operibus ornare cupientes, heremiticam vitam ducere elegerunt. Et quoniam inveni eos humiles ac quietos; elegi potius cum illis abjectus esse, magis quam in regalibus Curis habitare. Sed quia *omnium nostrum erat cor unum & anima una,* elegimus omnes simul habitare, comedere & bibere pariter, & in eadem domo dormire. Sicque me licet invitum sibi prætulerunt. *Non enim dignus eram solvere corrigiam calceamentorum eorum.*

Et cum vitam Monasticam ita duceremus, juxta normam probabilium patrum, ostenderunt mihi præfati fratres scripta sanctorum Phagani & Diruviani, in quibus continebatur, quod duodecim Discipuli sanctorum Philippi & Jacobi, ipsam vetustam Ecclesiam construxerunt in honore prælibatæ Advocatricis nostræ, per doctrinamentum beati Archangeli Gabrielis. Insuper & quod Dominus eandem Ecclesiã cœlitus in honore suæ matris dedicaverat, & quod tres Reges Pagani, ipsis duodecim ad eorum sustentamentum duodecim portiones terræ dederunt; necnon & in scriptis recentioribus inveni, quod Sancti Phaganus & Diruvianus perquisierant ab Eleutherio Papâ, qui eos miserat, triginta annos indulgentiæ. Et ego frater *Patricius* à piæ memoriæ Celestino papâ duodecim annos tempore meo adquisivi.

Post multum verò temporis, assumpto mecum Welliâ confratre meo, per condensitatem


*c Tab. Glaston.
& M S. ced.
Col. S. Trin.
Cantab. decem.*

tatem sylva, cum magna difficultate, conscen-
dimus cacumen montis qui eminet in eadem
Insulâ. Quò cum pervenissemus, apparuit
oratorium unum vetustum & ferè dirutum,
habile tamen devotioni Christianæ, & (pro-
ut mihi videbatur) à Deo electum, Quòd cum
ingressissemus, tantâ odoris suavitate reple-
bamur, ut in Paradisi amœnitate positos
nos crederemus. Egredientes igitur & rein-
gredientes, locumque diligentius perscrutan-
tes, invenimus volumen unum, in quo scripti
erant Actus Apostolorum, pariter cum Actis
& gestis sanctorum Phagani & Diruviani, ex
magna parte consumptum, in cujus tamen
fine voluminis invenimus scripturam quæ di-
cebat, quòd prædicti Phaganus & Diruvia-
nus, per revelationem Domini nostri Jesu
Christi, idem Oratoriũ ^d ædificaverunt in ho-
nore sancti Michaelis Archangeli, quatenus ^{d Tab. Glasg}
ibi ab hominibus haberet honorẽ, qui homines ^{ædificaverat tẽ}
in perpetuos honores, jubente Deo, est introdu-
cturus. At cum delectaret nos illa scriptura,
nitebamur eam ad finẽ legere. Dicebat enim
eadem scriptura, quòd venerandi Phaganus
& Diruvianus moram ibi fecerunt per novem
annos, & quòd ipsi etiam perquisierant tri-
ginta annorum indulgentiam omnibus Chri-
sticolis locum ipsum ad honorem beati Mi-
chaëlis piã voluntate visitantibus. Inven-
to ^e ergò tanto divinæ bonitatis thesauro, ^{e Tab. Glasg}
ego & frater Wellias tribus mensibus jejuna-
vimus, orationibus vacantes & vigiliis decem
monis

monibusque & belluis multiformiter apparentibus imperantes. Quadam autem nocte cum me sopori dedissem, apparuit mihi Dominus Jesus in visu dicens: Patrici serve meus, scias me elegisse locum istum ad honorem nominis mei, & ut hinc honoranter invocent adjutorium Archangeli mei Michaëlis. Et hoc tibi signum & fratribus tuis, quatenus & ipsi credant; brachium tuum sinistrum arescet, donec quæ vidisti annuntiaveris fratribus qui in Cellâ sunt inferiori, & denuo hinc redieris; & factum est ita.

Ab illo die statuimus Duos fratres in perpetuum ibi, nisi Pastores futuri ob justam causam aliter decreverint. Arnulpho autem & Ogmar Hibernicis fratribus qui mecum venerant de Hibernia, pro eo quod ad exhortationem meam apud dictum humiliter oratorium manere cœperunt, præsentem paginam commisi, aliam similem in arca sanctæ Mariæ retinens, in monumentum posteris. Et ego [frater] Patricius per consilium fratrum meorum, omnibus qui sylvam ex omni parte præfati montis in securi, & ascia, piâ intentione dejecerint, ut facilius paretur aditus Christianis, Ecclesiam, beatæ perpetuæque virginis piè & visitantibus, centum dies veniæ concedo.

† Deest hæc vox
in Tabula Glaston. & MS. S. Trin. Cantab. & Tab. Glast. & MS. Trin. vilicaturis, & oratorium prædictam.



S. PATRICII.

De Abusionibus Seculi,

LIBER.

CAP. I.

Primus abusionis gradus est, si sine bonis operibus, Sapiens & Prædicator fuerit, qui quod sermone docet, actibus explere negligit. Doctus prædicator, sine bonis operibus. Auditores enim doctrinæ dicta facere contemnunt, cum Prædicatoris opera à prædicationis verbis discrepare conspiciunt. Numquam enim fit efficax constituentis auctoritas, nisi eam effectu operis cordi adfixerit audientis, præsertim cum & ipse Doctor, si in vitiorum amorem delapsus fuerit, alterius doctoris medicamentum suis vulneribus adhibere parvipendit. Unde & ipse Dominus in Evangelio, de doctrinâ pariter & de bono opere instruere volens discipulo,

pulos, qualem in his cautelam haberent admonebat, dicens: *Quòd si sal evanuerit, in quo salietur? Hoc est, si Doctor erraverit, in quo iterum Doctore emendabitur? Et si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Si namque oculus, à videndi officio defierit, quis à manu, vel à pede, vel à reliquo corpore, illud ministerium exiget? Quapropter Doctores cogitent ne ampliori vindictæ subjaceant, si plurimis perditionis occasionem abundantius præstent. Nam & ipse Salomon dum multæ sapientiæ transgressionem incurrit, totius Israëliticæ plebis regni dispersionem, solius sui merito præstitit. Quibus ergò committuntur multa, majora perdunt, si non rectè dispensaverint Rectores sui munera, quæ perceperunt. Cui enim plus committitur ab eo plus exigitur. Et servus, qui Domini sui voluntatem intelligens non facit, acriter flagellis gravioribusque vindictis vapulabit.*

CAP. II.

Senex sine religione.

SECUNDUS abusionis gradus est, si sine religione Senex esse inveniatur. Cui cum membra exterioris hominis veterascunt, vires animi, id est, interioris hominis membra, incrementa roboris non capiunt. Plus enim omnibus religioni operam dare senibus competit, quos præsentis seculi florida ætas transacta

æta deseruit. Sicut namque in lignis ipsa re-
proba arbor comparet, quæ post flores, fru-
ctus optimos cultori suo non exhibet: sic & in
hominibus, ipse reprobus est, quem flos juven-
tutis deserit, & tamen in sui corporis senectute
bonorum operum maturos fructus proferre par-
vipendit. Quid enim stolidius fieri potest, si
mens ad perfectionem festinare non contendat,
quando totius corporis habitus senectute con-
fectus ad interitum properat? Dum oculi ca-
ligant, aures graviter audiunt, capilli fluunt,
facies in pallorem mutatur, dentes lapsi nu-
mero minuuntur, cutis arefcit, flatus non
suaviter olet, pectus suffocatur, tussis cachin-
nat, genua trepidant, talos & pedes tumor in-
flat, etiam homo interior qui non senescit, his
omnibus adgravatur. Et hæc omnia ruituram
jamjamque domum corporis citò prænunci-
ant. Quid ergo superest, nisi ut dum hujus vitæ
defectus adpropiat, nihil aliud quam cogitare,
quomodo futura habitatio prosperè compre-
hendatur, quisque senex adpetat? Juvenibus
enim incertus hujus vitæ terminus instat, seni-
bus verò cunctis maturior ex hac luce exitus
breviter concordat. Cavendæ enim sunt ho-
mini duæ particulæ, quæ in illius carne invete-
rascunt, & totum hominem secum ad pecca-
tum pertrahunt, cor videlicet & lingua: quia
cor novas semper cogitationes machinari non
desinit, lingua impigrè loquitur, quodcunque
machinari cor senserit. Caveat ergo senilis
ætas ne istæ juvenescentes particulæ totam sui

harmoniam decipiant, & per res ineptas reliqui corporis gravitatem ne illudant. Unicuique enim considerandum est, quid ætate eminenti dignum sit, ut hoc agat, quod nec vitam, nec ætatem, nec ministerium vile reddat.

CAP. III.

*Adolescens sine
obedientia.*

Tertius abusionis gradus est, si Adolescens sine obedientia deprehenditur, qui mundus à recto rationis ordine depravatur. Qualiter namque in senectute aliis ministerium imperabit, qui in adolescentia se senioribus obedientem exhibere contemnit? Unde & in proverbio apud veteros habetur, quod dominari nequeat, qui prius alicui servitutum præbere denegat. Propter quod & Dominus Jesus in temporibus suæ carnis, dum adhuc ad legitimam ætatem Doctoris non perveniret, obedienter ministracionem parentibus suis præstitit. Sicut ergo in senibus sobrietas, & morum perfectio requiritur: ita etiam in adolescentibus obsequium & subjectio, & obedientia ritè debetur. Quapropter & in mandatis legis, primùm in his quæ ad homines pertinent, patris & matris honor imperatur: quia quamvis carnalis pater non supervixerit, aut indignus fuerit, alicui tamen patri digno & viventi, paternus honor usq; ad dignam ætatē à filiis

à filiis præbendus esse ostenditur. Quatuor etenim modis per scripturas divinas patres vocantur, hoc est, naturâ, gente, admonitione, & ætate. De parte namq; naturali, Jacob ad Laban loquitur: *nisi timor patris mei Isaac adfuisset, tulisses omnia quæ mea sunt tibi.* Gente verò pater dicitur quando Dominus de rubo ad Moysen loquebatur, *Ego sum, inquit, Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob.* Ætate autem & admonitione pariter pater dicitur, cum Moyses in cantico Deuteronomii loquitur: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi.* Quod si ergo naturalis pater superstes non fuerit, aut indignus fuerit, admonenti tamen seniori adolescentis obedientia præbenda erit. Quomodo ergo honoratus in senectute adparebit, qui disciplinæ laborem in adolescentia non sustinuerit? Quodcunque etenim homo laboraverit, hoc & metet. *Omnis namque disciplina in presenti non videtur esse gaudium, sed mœroris, postea verò fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.*

Sicut ergo fructus non invenitur in arbore, in qua pampinus aut flos prius non adparuerit: sic & in senectute honorem legitimum adsequi non poterit, qui in adolescentia disciplinæ alicujus exercitatione non laboraverit. Disciplina igitur absque obedientiâ, qualiter fieri potest? Adolescens ergo sine disciplina, adolescens sine obedientia est: quoniam & ipsa obedientia quæ omnium discipli-

disciplinarum mater est, magnâ exercitatione indiget, quæ sui normam studii in Christo Domino sumpsit, qui obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis, ignominiam libenter sustinuit.

CAP. IV.

*Dives sine ele-
mosynâ.*

Quartus abusionis gradus est, Dives sine eleemosynâ, qui superflua usus sui, quæ custodienda in posterum recondit, indigentibus & nihil habentibus non distribuit: per quod efficitur, ut dum in terra quæsitâ diligenti curâ custodit, cœlestis patriæ perennem thesaurum amittat. Ad quem thesaurum Dominus Jesus adolescentem divitem, qui eum de perfectione interrogaverat, ita respondens invitât; *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me, & habebis thesaurum in calo.* Quem thesaurum nullus unquam hominum habere potest, nisi qui pauperibus solatia præstat, aut qui per se ipsum pauper est. Non ergo dormiat in thesauris suis, qui pauperes dormire non finit. Dives namque, etsi multa congregaverit, his frui solus nequaquam poterit: quia unius hominis natura multis rebus non succurrit. Quid ergo stultius est, quàm propter unius hominis victum & vestitum totam regni cœlestis perdere perennem jocunditatem, & æternos inferni cruciatus, absque consolationis præsto-

præstolatione subire? Quod igitur aliquando per necessitatem omittendum est, pro æterna remuneratione sponte distribuendum est. Omnia enim quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt. Quamdiù namque temporales sumus, temporalibus temporalia deserviunt: & cum hinc transierimus, æternis æterna solatia præstentur. Iccircò non debemus diligere ea, quæ non semper habebimus, præsertim cum expertem rationis avarum divitem, thesauri & sui agri, & omnia quæ habet, ostendat, quia toto cordis intuitu illas res amat, quæ nunquam se diligunt. Si etenim aurum & argentum & agros, & vestimenta, & cibos, & metalla, & bruta animalia quis dilexerit, hæc omnia vicem sibi amoris rependere non posse, ipsa rerum natura ostendit. Quid ergo à ratione longius est, quam diligere, quod te amare non valet & negligere illum qui suæ ditioni cum dilectione omnia præbet? Propter hoc igitur non diligi mundus, sed diligi proximus à Deo præcipitur: quia proximus vicem sui amoris potest rependere, quod mundus non potest, vel minimè non posse dubitatur. Sic enim inimicum esse diligendum Dominus præcepit, ut illa dilectio amicum illum ex inimico efficiat. Quisquis ergo dives cupidus, qui vult æternas habere divitias, distribuendo egenis præstet interim non mansuras. Si enim quod diligit non vendit, nemo potest emere quod cupit. Avari namque ideo in iudicio

dicio à rectissimo iudice nuncupantur maledicti, quia cum præteribant eorū habitacula, non dicebant, *Benedictio Domini super vos, benedicimus vobis in nomine Domini*. Infelices ergo sunt avari divites, qui propter res transitorias, in æternam damnationem dilabuntur, & è contrario, *Beati sunt misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Felix est ergo misericors dum in hac virtute non substantiam, sed adfectum Deus requirit.

CAP. V.

Femina sine pudicitia.

Quintus abusionis gradus est, Femina sine pudicitia. Sicut enim omnes bonos mores procurat & custodit in viris prudentia, sic & in feminis cunctos honestos actus nutrit & fovet & custodit pudicitia. Pudicitia namque castitatem custodit, avaritiam refrænat, lites devitat, iram mitigat, libidinem occupat, cupiditatem temperat, lasciviam castigat, ebrietatem cavet, verba non multiplicat, gulæ concupiscentias purgat, furtum omnino damnat. Quid plura? omnia vitia restringit, & omnes virtutes, & quidquid coram Deo & bonis hominibus laudabile est, nutrit. Impudica namque vita nec laudem ab hominibus in præsenti seculo nec remunerationem à Deo spectat in futuro. Pudica verò vita famam bonam inter homines habet, & de spe futuræ beatitudinis gaudet.

gaudet. Præsentibus semetipsam imitabilem facit, posteris memoriam amabilem relinquit, bonis semper moribus delectatur & consentit, & assiduis scripturarum meditationibus & eloquiis animam vegetat. Bonorum præcedentium exempla custodit, & inseparabilia perfectis contubernia nectit. Duobus ergo modis constat veræ pudicitiaë exercitatio, id est, corporis habitu, & superficie, & animi adfectu interno. Per exteriorem modum, juxta Apostolum, coram hominibus exempla, per interiorem modum, coram Deo providemus opera bona. Pudicitia namque corporis est alienas res non adpetere, & omnem immunditiam devitare, ante horam congruam non gustare velle, risum non excitare, verba vana & falsa non loqui, habitum per omnia ordinatum, compositionemque convenientem, tam capillorum quàm vestium, sicut decet habere, cum indignis contubernia non inire, supercilioso intuitu neminem adspicere, vagari oculos non permittere, pompatico & illecebroso gressu non incedere, nulli inferior in incepto bono opere adparere, nulli contumeliam aut ruborem incutere, neminem blasphemare, bonis non invidere, senes non irridere, meliori non controversari, de his quæ ignoras non tractare, & ea quæ scis non omnia proferre. Hæc enim proximis amabilem hominem reddunt,

&

& Deo acceptabilem faciunt. Pudicitia enim animæ est plus propter Dei oculos, quam hominum, omnia bona facere, adpetitiones turpium cogitationum compescere, omnes meliores se esse estimare, nemini invidere, de semetipso nihil confidere, Dei semper auxilio res omnes committere, ante Dei oculos semetipsum constituere, hæreticâ pravitate sensum non maculare, catholicis per omnia consentire, Deo soli adherere, castitatem æternæ mentis Deo Christo offerre, omnia cœpta opera bona mortis tantum termino finire, præsentis tribulationes animi fortitudine parvipendere, in terra præter proximos nihil amare, cuncti amoris sui thesaurum in cœlo constituere, & pro omni bono actu mercedem à Deo in cœlestibus sperare. Pudicitia ornamentum nobilium est, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo debilium, prosperitas laborantium, solamen mœrentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, defensio criminum, multiplicatio meritorum, Creatoris omnium Dei amicitia.

CAP. VI.

*Dominus sine
virtute.*

Sextus abusiois gradus est, Dominus sine virtute. Quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si Dominus ipse non habeat virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor non tam exteriori fortitudine, quæ & ipsa secula-

secularibus Dominis necessaria est, indiget, quàm animi interiori fortitudine, bonis moribus exerceri debet: sæpe enim dominandi per animi negligentiam perditur fortitudo, sicut in Heli sacerdote factum fuisse comprobatur: Qui dum severitate iudicii peccantes filios non coërcuit: in eorum vindictam Dominus, velut consentienti, ferociter non percipit. Tria ergò necessaria hos qui dominantur habere oportet, terrorem scilicet, & ordinationem, & amorem. Nisi enim ametur Dominus pariter & metuatur, ordinatio minimè constare illius potest. Per beneficia ergò & adfabilitatem procuret ut diligatur, & per justas vindictas, non propriæ injuriæ, sed legis Dei, studeat ut metuatur. Propterea quoque dum multi pendent in eo, ipse Deo adhærere debet, qui illum in ducatum constituit, qui ad portanda multorum onera, ipsum veluti fortiorem solidavit. Paxillus enim nisi bene fortè firmetur, & alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet citò labitur, & ipse solutus à rigore suæ firmitatis cum oneribus ad terram delabitur. Sic & princeps nisi suo conditori pertinaciter adhæserit, & ipse & omne quod continet citò deperit. Quidam namque per dominandi officium plus Deo adpropinquant, quidam imposito sibi dignitatis honore deteriores fiunt. Moyses namque accepto populi ducatu, familiaris Dei locutionibus utebatur; Saul vero filius Cis, postquam sceptrum regni suscepit, per inobedi-

entia

entia superbiam Deum offendit. Rex Salomon postquam patris sui David sedem obtinuit, Deus illum ultra omnes mortales, velut ad numerosi populi gubernationem sapientia munere ditavit. E contrario vero Hieroboam servus Salomonis, postquam regni domus David occupavit partem, ad Idolorum culturam, decem tribus Israë, quæ erant in parte Samariæ, deverterat. Per quæ exempla evidenter ostenditur, quosdam in sublimiori statu ad majorem perfectionem crescere, quosdam vero per supercilium dominationis, ad deteriora defluere. Per quod utrumque intelligitur, eos qui ad meliora condescendunt, per virtutem an mi & Dei auxilium posse id facere, & eos qui ad deteriora devertuntur, per mentis imbecilitatem pariter & negligentiam errare. Unde & Dominum absque virtute fieri non decet, qui virtutem sine Dei auxilio nullatenus habet. Qui etenim multa tuetur, si non habet fortitudinem animi, non valet id agere, quoniam magna magnis infestationibus vel adversitatibus solent laborare. Omnis ergo qui præest, hoc primitus animi totâ intentione procuret, ut per omnia de Dei adjutorio omnino non dubitet. Si namque cœperit in actibus suis auxiliatorem habere Dominum Dominorum, nullus hominum contemptui poterit habere ejus dominatum: *Non enim est potestas nisi à Deo. Ipse enim elevat de stercore egenum & sedere facit cum Principibus populi sui: Et deponit potentes*

de sede, & exaltat humiles, ut subditus fiat omnis mundus Deo, & egeat omnis homo gloriâ Dei.

CAP. VII.

Septimus abusionis gradus est, Christianus, *Christianus contentiosus.* contentiosus: qui cum participationem nominis Christi, per fidem & baptismum suscepit, contra Christi dicta, & propositum, mundi caduca delectamenta diligit. Omne enim de quo contenditur, aut propter propriâ ejus rei dilectionem de qua agitur, aut propter alterius amorem, quæ sub odiosâ specie latet, adpetitur. Quemadmodum, verbi gratiâ, bellum animolo copugnantium conflictu, cum odiosa res sit, propter amorem victoriæ & libertatis peragitur, & multæ aliæ dilectæ species, sub odioso labore vel formidine, satis contentiosè expetuntur. Unde patenter intelligitur, nihil contendere posse, nisi propter dilectionem, speratam scilicet & subsequenter amabilem remunerationem. Qui igitur de mundo præsentem & quacunque causâ, contendit, perspicuè ostendit, quod illum diligit. Quomodo ergo mundum diligi per Joannem Spiritus sancti sermones interdicit? qui ait: *Nolite diligere mundum, neque ea que in mundo sunt.* Mundi enim amor & Dei pariter in uno corde cohabitare non possunt, quemadmodum iidem oculi cœlum pariter

& terram nequaquam conspiciunt. Sed re-
 quirendum est, si verè in mundo aliquid sit
 quod amari debeat: & quis sit ille mundus,
 quem diligi divina eloquia vetant. Terra er-
 go cum nascentibus ex ea, & metallis, & ani-
 mantibus, & pulchritudine vestium, & oble-
 stat onibus ciborum, & his quæ ad hæc perti-
 nent, non diligi præcipitur: sed proximus,
 propter quem hæc omnia facta sunt, hæc ama-
 ri iubetur. Hæc enim omnia prædicta, velut
 non mansura, ad cœlestem patriam pergen-
 tes concomitari nequeunt. Proximi verò ve-
 lut mansuri Regis cohæredes, semetiplos li-
 center diligunt. Quod ergo Imperium in mundo
 non manet, & cum mundo pariter deficiet.
 Ipse mundus non amari præcipitur: proxi-
 mus autem, qui est pars regni Cœlestis, in
 terra & inter ima elementa, à regni cœlorum
 adpetitoribus non incongruè amatur, dum in
 suprema illâ patriâ in æternum cohæres ha-
 bebatur. Propterea verò mundus præsens non
 diligi imperatur; ne à Dei dilectione alienus
 seculi dilector quisque efficiatur. Non ergo
 debet contendere quod non licet amari. Igitur
 Christianus, qui nominis Christi similitudi-
 nem tenet, motum quoque ejus similitudinem
 habere debet. Christianus enim nemo rectè
 dicitur, nisi qui Christo moribus coequatur.
 De Christo verò per Prophetam ita scribi-
 tur: *Ecce filius meus quem elegi, electus meus,*
complacuit in illo sibi anima mea, ponam spiritum
meum super eum. Non contendet neque clamabit,
neque

neque audiet aliquis in platea vocem eius. Ecce Christus non contendit, neque clamavit. Et tu si morum Christi similitudinem tenere cupis, ne contendas; ne abusivus in Ecclesia Christianus existas. Suis enim sectatoribus Christus præcepit: *Nolite vocari Rabbi, unus est enim magister vester, qui est Christus, & patrum nolite vocare super terram, unus est enim pater vester, qui in cælis est.* Omnes enim vos fratres estis, quibus ad supplicandum imperavit, cum diceret: *Sic autem orabis, Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum.* Frustra ergo contendit patrem se habere in terra, qui patrem & patriam profitetur se habere in cælo. Cujus patriæ nemo possessor efficitur, nisi qui de terrenæ patriæ contentione securus habetur.

CAP. VIII.

Octavus abusionis gradus est Pauper super-^{Pauper super-}bus, qui nihil habens in superbiam extol-^{bus.} litur, cum è contratio divitibus seculi non superbe sapere, per Apostolum Paulum impere- tur. Quid ergo stolidius potest fieri, quam illum qui per infimam miseriam velut in terram abjectus, extremus & humilis incedere, & contristari debuerat, supercilioso superbiæ tumore, inflatam mentem contra Deum erigere? Per quod vitium lapsi corruerunt, qui in summo cæli conditi erant cul-

mine. Quid ergo vult quasi potens in terra
 superbiere qui præ omnibus hominibus debue-
 ra humilis adparere? sed ne de paupertate sua
 tristitiam habeant, quid à Deo receptari sint,
 pauperes attendant, ipse enim inquit, *Beati
 pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœ-
 lorum.* Rectè namque dispensatione mise-
 ricors Judex cœli regnum illis committit,
 quibus regni terrarum participationem in-
 ter mortales abstulit, ut ipse dives in cœli
 sede adpareat, qui in terra penitus nihil
 procurat. Cavendum ergo pauperibus est,
 ne dum per egestatem & necessitatem ter-
 renum regnum prætereunt, per mentis eti-
 am imprudentiam cœlorum regna amit-
 tant. Cùm enim Dei dispensatione, pau-
 pertatem necessariam acceperint, in ipso-
 rum arbitrio pendet, utrum pauperes spi-
 ritu sint. Non enim quibuscunque pauperi-
 bus cœli regna promittuntur, sed his tan-
 tummodo in quibus divitiarum inopiam
 animorum humilitas comitatur. Pauper e-
 nim humilis, pauper spiritu adpellatur, qui
 cùm egenus foris cernitur, nunquam in su-
 perbiam elevatur: quoniam ad adpetenda
 regna cœlorum plus valet mentis humili-
 tas, quàm præsentium divitiarum tempo-
 ralis paupertas. Etenim humiles qui bene
 divitias possessas habent, possunt paupe-
 res spiritu adpellari: superbos autem nihil
 habentes haud dubium est beatitudine pau-
 pertatis privari. De quibus utrisque, san-
 cta

Et scriptura ita loquitur : *Est quasi dives nihil habens , & est quasi pauper , cum in multis divitiis sit.* Quasi pauper ergo in multis divitiis est dives humilis spiritu : & nihil habens quasi dives , est pauper superbus mentis adfectu. Nobilis ergo inopia est mentis humilitas , & ineptæ divitiæ sunt animorum enormitas. Providendum ergo est pauperibus , ut semetiplos , quales sint , intelligant : & quia rebus consequi , quod cupiunt , non valent , mentis tumore superbire desinant.

CAP. IX.

Nonus abusionis gradus est , Rex iniquus. Etenim Regem non iniquum, *Rex iniquus* sed correctorem iniquorum esse oportet. Inde in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet : nomen enim Regis intellectualiter hoc retinet , ut subjectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit , qui proprios mores , ne iniqui sint , non corrigit ? *Quoniam in justitia Regis exaltatur solium , & in veritate Regis solidantur gubernacula populorum.* Justitia verò Regis est neminem injustè per potentiam opprimere , sine personarum acceptis.

acceptione, inter virum & proximum suum
 justè judicare, advenis, & pupillis, & viduis
 defensorem esse, furta cohibere, adulteria
 punire, iniquos non exaltare, impudicos &
 histriones non nutrire, impios de terra perde-
 re, parridas & perjurantes vivere non sinere,
 Ecclesias defendere, pauperes eleemosynis
 alere, justos super regni negotia constituere,
 senes & sapientes & sobrios consiliarios habe-
 re, magorum & ariolorum Pythonissarumque
 superstitionibus non intendere, iracundiam
 differre, patriam fortiter & justè contra ad-
 versarios defendere, per omnia in Deo confi-
 dere, prosperitatibus animum non elevare,
 cuncta adversa patienter tolerare, fidem Ca-
 tholicam in Deum habere, filios suos non si-
 nere impiè agere, certis horis orationibus insi-
 stere, ante horas congruas cibum non gustare.
*Vae enim terra cuius Rex puer est, & cuius Princi-
 pes mane comedunt.* Hac regni prosperitatem
 in presenti faciunt, & regem ad cœlestia regna
 meliora perducunt. Qui verò regnum non
 secundùm hanc legem dispensat, multas nimi-
 rum adversitates imperii tolerabit. Iccircò
 enim pax sæpe populorum rumpitur, & offen-
 dicula etiam de regno suscitantur, terrarum
 quoque fructus diminuuntur & servitia popu-
 lorum præpediuntur, multi & varii dolores
 prosperitatem regni inficiunt, carorum & li-
 berorum mortes tristitiam conferunt, hosti-
 um incursus provincias undique vastant, be-
 stia armentorum & pecorum greges dilace-
 rant,

rant, tempestas aëris & hyemis turbatâ rerum
 fecunditate, maris ministeria prohibent, &
 aliquando fulminum ictus segetes & arborum
 flores, & pampinos quosque exurunt. Super
 omnia verò Regis injustitia, non solum præ-
 sentis imperii faciem obfuscat, sed etiam filios
 suos, & nepotes, ne post se regni hæreditatem
 teneant obscurat. Propter piaculum enim
 Salomonis, regnum domus Israël, Dominus
 de manibus filiorum ejus disperfit. Et prop-
 ter justitiam David Regis, lucernam de semine
 ejus semper in Hierusalem reliquit. Ecce
 quantum justitia Regis seculo valet, intuen-
 tibus perspicuè patet. Est enim pax populo-
 rum, tutamen patriæ, immunitas plebis, mu-
 nimentum gentis, cura languorum, gaudium
 hominum, temperies aëris, serenitas maris,
 terræ fecunditas, solatium pauperum, hæredi-
 tas filiorum, & sibi metipsi spes futuræ beatitu-
 dinis. Attamen sciat rex, quòd sicut in thro-
 no hominum primus constitutus est, sic & in
 pœnis, si justitiam non fecerit, primatum ha-
 biturus est. Omnes namque quoscunque pec-
 catores sub se in præsentem habuit, supra se mo-
 do implacabili, in illa pœna futura habebit.

CAP. X.

Decimus gradus abusionis est Episcopus
 negligens: qui gradus sui honorem in-
 ter homines requirit, sed ministerii sui digni-

*Episcopus negli-
 gens.*

ratem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non custodit. Primum namque ab Episcopo, quid sui nominis dignitas teneat, inquiratur, quoniam cum Episcopus Græcum nomen sit, *Speculator* interpretatur. Quare verò speculator ponitur, & quid à speculatore requiritur, Dominus ipse denudat, cum sub *Ezechielis* prophetae persona, Episcopo officii sui rationem denunciat, ita inquit: *Speculatorem dedi te Domui Israël. Audiens ergo ex ore meo sermonem nunciabis eis ex me. Si autem videris gladium venientem, & tu non annunciaueris, ut revertatur impius à viâ suâ, ipse quidem impius in iniquitate suâ morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris, & ille non fuerit reversus, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sed tu animam tuam liberaasti.* Decet ergo Episcopum qui omnium Speculator positus est, peccata diligenter adtendere, & postquam adtenderit, sermone si potuerit, & actu corrigere: si non potuerit, juxta Evangelii regulam scelerum operarios declinare. Si enim, inquit in Evangelio Dominus, peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum; Si te audierit lucratus eris fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos testes, ut in ore duorum vel trium testimonium stet omne verbum. Si illos non audierit, dic Ecclesie: si Ecclesia non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Tali ordine expellendus est quicumque doctori vel Episcopo adhærere noluerit. Et qui tali ordine expulsus fuerit, ab alio

alio aliquo doctore, vel Episcopo non debet recipi. De Sacerdote namque scriptum est in lege: *Viduam aut repudiatam non accipiat uxorem.* Qui ergo illum excommunicatum à catholico, illo non permittente, sibi jungit: jura sacerdotii Sancti, quod Christianorum genus electum est, excedit. Hac ratione Episcopum, ad eos quibus in speculatione positus est, esse oportet. Cæterum verò, qualis in semetipso esse debeat, Paulus Apollolus exponit: *ut ad gradum Episcopi veniens sit sobrius, prudens, castus, sapiens, modestus, hospitalis, filios habens subditos cum omni castitate, testimonium habens bonum ab his qui foris sunt, proficiens doctrinæ fidelem sermonem, antequam Episcopus sit, non plures habens uxores quam unam. Non percussor, non bilinguis, non ebriosus, non neophytus.* Et per hæc ipse ostendat in opere, quod alios docet in sermone doctrinæ. Caveant ergo negligentes Episcopi, quod in tempore vindictæ Dominus per Prophetam conqueritur, dicens: *Pastores multi demoliti sunt populum meum, & non pascebant gregem meum pastores, sed pascebant semetipsos: sed potius procurant hi quos constituit Dominus super familiam suam, dare illis cibum in tempore suo, mensuram tritici, puram scilicet & probatam doctrinam, quatenus veniente Domino mereantur audire, Euge serve bone & fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.*

CAP. XI.

Plebs sine disciplina.

UNdecimus abusionis gradus est, Plebs sine disciplina, quæ cum disciplinæ exercitationibus non servit, communis le perditionis laqueo constringit: Iram etenim Domini absque disciplinæ rigore non evadit. Atque idcirco Psalmistæ vocibus, indisciplinata plebi prædicatur: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus.* Disciplina verò morum est ordinata correctio & majorum præcedentium regularum observatio, de quâ disciplinâ Paulus Apostolus ita loquitur, dicens; *In disciplina perseverate, tanquam filiis vobis offert se Deus. Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti estis? Omnes enim adulteri & non filii estis. Qui ergo adulteri sine disciplina sunt, & cœlestis regni hæreditatem non capiunt; Si filii autem paternæ disciplinæ correctiones ferunt, & hæreditatem quandoque recipere posse non desperent.* De qua etiam disciplina Esayas quidem indisciplinata plebi prædicat dicens: *Quiescite agere perverse; discite benefacere.* Et ad eandem Psalmistam consonâ voce complallit, dicens, *Declina à malo & fac bonum.* Infelix ergo est qui abjicit disciplinam. Audet enim extra milites aliquid, qui Dominum crucifigentes non ejus sciderunt tunicam, qui Ecclesiæ Christi scindit disciplinam. Sicut enim tunicæ

tunicâ totum corpus præter caput tegitur : ita disciplinâ omnis Ecclesiâ , præter Christum qui caput est Ecclesiæ , & sub disciplina non est , protegitur & ornatur. Ipsa enim tunica contexta desuper fuerat per totum , quia eadem disciplina Ecclesiæ à Domino de cælo tribuitur & integratur. De quâ Dominus cùm ad patrem ascendisset , postquàm resurrexit à mortuis ad Apostolos suos loquebatur dicens : *Vos autem sedete hîc in civitate , quoadusque induamini virtute ex alto.* Tunica ergo corporis Christi , disciplina Ecclesiæ est : qui autem extra disciplinam est , alienus est à corpore Christi. Non scindamus igitur illam , sed sortiamur de illa cujus sit : id est , non solvamus quicquam de mandatis Domini , sed unusquisque in eo in quo vocatus est , in eo permaneat apud Dominum.

CAP. XII.


DUODECIMUS abusionis gradus est, Populus sine lege, qui dum Dei dicta & legum scita contemnit, per diversas errorum vias eundem perditionis laqueum incurrit. De quibus viis, sub persona prævaricatoris populi, humanum genus Propheta ita deplangit : Nos autem sicut oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit. De quibus viis etiam Sapiencia loquitur per Salomonem : *Multa via videntur hominibus re-*
Populus sine lege.
Et a,

Etæ, & novissima earum deducunt ad mor-
 tem. Quæ utique multæ perditionis viæ tunc
 inceduntur cum una regalis via, lex Dei
 videlicet, quæ neque ad dexteram neque
 ad sinistram declinat, per negligentiam
 deseritur. De quâ scilicet Dominus Iesus
 Christus, qui est finis legis ad justitiam
 omni credenti, denunciat: *Ego sum via,
 veritas, & vita, nemo venit ad Patrem nisi
 per me.* Ad quam viam omnes homines
 communiter invitat, dicens; *Venite ad me
 omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego
 reficiam Vos.* Quia non est personarum ac-
 ceptio apud Deum, ubi non est *Judeus, nec
 Græcus, Masculus & foemina, servus & li-
 ber, barbarus & Scythæ*, sed omnia in
 omnibus Christus: *omnes enim unum sunt in
 Christo Iesu.* Dum ergo Christus finis legis
 est, qui sine lege sunt, sine Christo sunt,
 Igitur populus sine lege, populus sine
 Christo est. Abusivum ergo in tempori-
 bus Evangelii populum sine lege fieri,
 quando Apostolis in rectas gentes licen-
 tia prædicationis data est, quando toni-
 trum Evangelii per cunctas seculi partes
 intonuit, quando gentes, quæ non sectaban-
 tur justitiam, adprehenderunt justitiam,
 quando qui de longè fuerant, facti sunt
 propè, in sanguine Christi, qui aliquando
 non populus, nunc autem populus Dei in
 Christo, quando est tempus acceptabile,
 & dies salutis, & tempora refrigerii, in
 conspectu

conspectu Altissimi, quando ipse Dominus
protestatur dicens: *Ecce. Ego vobiscum sum*
omnibus diebus, usque ad consummationem
Seculi. Non itaque nos simus sine Chri-
sto, in hoc tempore transitorio, ne sine
nobis Christus esse incipiat in futuro.



NOTÆ



NOTÆ

ad Confessionem

S. PATRICII.

HÆc *S. Patricii* Confessio nunc primum in publicam lucem emittitur, è *IV.* antiquis exemplaribus manuscriptis inter se collatis, uno nempe Ecclesiæ Armachanæ in Hibernia, altero Bibliothecæ Dom. Thomæ Cottoni Baronetti, & binis Ecclesiæ Sarisburiensis in Angliâ: in quibus omnibus, *S. Patricio* adscribitur. Antiquitatem ejus, necnon Epistolæ ad Coroticum, satis arguunt scripturæ citatæ è versione juxta Septuaginta interpretationem, & non è tum recenti versione *S. Hieronymi*, quæ *S. Patricii* ævo publicitatis non fuit recepta.

Codex Ecclesiæ Armachanæ supra memoratus continet, præter Confessionem *S. Patricii*, Biblia sacra è versione *D. Hieronymi*, & antiquissimum exemplar *Sulpitii Severi*,

Severi, de vita S. Martini Episcopi Turonen-
 sis, tantóque olim habebatur in pretio, ut fa-
 milia Mac-Moyeriana tenerit terras à sede
 Armachana, ob salvam illius codicis custo-
 diam. Magnam hanc libro venerationem
 præcipuè conciliavit vulgaris opinio ma-
 nu ipsius Sancti *Patricii* illum fuisse exara-
 tum. Et certè ad calcem Confessionis ejus,
 hæc verba leguntur: *Huc usque volumen*
quod Patricius manu conscripsit suâ. De-
 inde; *Septimâ decimâ Martii die transla-*
tus est Patricius ad Cælos. Ex characteri^s
 tamen genere, satis liquet non autogra-
 phum esse, sed longè posteriori ævo tran-
 scriptum.

Liber Cottonianus (quod hîc etiam non
 prætermittendum est) circa annum Christi
 Millesimum exaratus, continet, præter Con-
 fessionem hanc & Epistolam S. *Patricii* ad
 Coroticum, (ut de venerandæ Antiquitatis
 monumentis ad Hiberniam non spectantibus
 taceamus) vitam S. Fursei Hiberni, cujus ini-
 tium; *Fuit vir venerabilis Fursens nomine, no-*
bilis quidem genere, sed nobilior fide. Author
 claruit ante finem seculi VII. Item vi-
 tam S. Brigidæ Virginis, à Cogitolo de-
 scriptam, quæ incipit; *Me cogitis Fratres.*
 Liber ille, vel ingens potius volumen ha-
 betur in jam dicta nobili Bibliotheca Cot-
 toniana, sub effigie Neronis E. I. Sed per-
 gamus.

De stylo S. *Patricii* quid attinet dicere?
Cuique Seculo (uti notum) suum est idioma,

— — — & *jus & norma loquendi.*

Non tamen fileri hîc debet, præter vitæ sanctimoniam & zelum in religione Christiana propaganda, infracta ejus & memorabilis constantia, quâ molestias illas & ærumnas pertulit, de quibus fit mentio in Confessione ejus jam edita. Cæterùm ejus virtutes notiores sunt quàm ut meo egeant præconio.

Quid veterum exscriptorum vitio vertatur, æquo lectori judicandum relinquo, à quo sperandum est, ut citra famæ & existimationis piissimi Authoris jacturam, si quid peccatum sit, vel emendetur vel excusetur. Atque hæc hæctenus generatim diximus. Jam ad notas quasdam distinctas & particulares in ipsam S. *Patricii*, sive Confessionem sive Epistolam pergamus.

Pag. 1. lin. 6. *Ego Patricius*] Is in baptismo *Succat* vel *Suc-cath* dictus est, sicut testantur *Ficchus Slebtienſis* Episcopus, ejusque vetus Scholiastes, *Sigebertus* præterea *Gemblacensis*, *Florentius Wigornienſis* & alii. *Patricii* verò nomen honoris causâ, à *Cœlestino* Pontifice eum accepisse produnt idem *Florentius*, *Radulphus Cestrienſis* & *Henricus Marleburgensis*, cæque voce, tum illi tum *Ængusiani Martyrologii* Scholiastes (quem M. S. habeo) *Patrem Civium* denotare asserunt. De *Patriciorum* dignitate & privilegiis, apud veteres

teres Romanos, vid. Dionys. Halicarnas. Antiquit. Roman. lib. 2. & Liv. lib. 10. ubi de Virginia loquitur, quæ cum *Patricia* esset, ob impares nuptias, plebeia devenit. Ad nomen *Saccat* vel *Succath* quod attinet, dictus Fiechanus Scholiastes linguâ Britannicâ *Deum belli*, vel *Fortem bello*, sonare asserit. Neque desunt qui à *Souchet*, Gallicâ dictione, quæ trunculum significaret, dictum arbitrentur.

Ibid. lin. 12. in *vico Bonavem Tabernie*,] *Tabernia* regiuncula est Britannica, pars hodiernæ Scotiæ, sita prope castrum *Dun-Britannicum*, ita dicta juxta *Jocelnum*, quasi *Tabernaculorum campus*, eo quod Romanus exercitus tabernacula ibidem fixerit. Consule it dem *Fiechum Slebtientem* & *Anonymum vitæ S. Patricii* scriptorem *Sæculi XIII*, in *Bibliotheca Cottoniana*, sub effigie *Vitellii*, E. VII. 3. cujus initium; *Gloriosus Confessor Patricius, de genere Britonum.*

Ibid. lin. 15. *Hiberione in captivitate adductus sum*,] Ita *S. Patricius* *Hiberniam* sæpe appellat, quæ & ita appellatur in aliquibus exemplaribus *Itinerarii Antonini*, licet ibi perperam in alio ponatur tractu. *Antonini* verò *Hiberionem* eandem esse cum *Hibernia*, firmat opinio *Hieronimi Sunitæ*, viri de literis optimè meriti, in *Commentariis* ad jam dictum *Itinerarium*, ab *Andrea Schotto S. I.* post mortem ejus publicatis. Huc accedit nominis similitudo cum voce *Hibernica* *Eri-*

H

Ita

Ita enim Incolæ Hiberniam vocant.

Pag. 9. lin. 24. *juxta sylvam Fochlari,*] Locus ille est apud Maionenles in Conatia: Ficho Slebtiensi, *Gialle-Fochlad* dictus.

Pag. 16. lin. 8. *Idola & immunda usque nunc semper coluerunt,*] De Idolis, sive Diis quos Hiberni olim, dum Ethnici, maximè colebant, vide quæ diximus in libro de Antiquitatibus Hibernicis, cap. V. Nonnulla tamen ibi prætermissa, quæ ad rem nostram faciunt, à quibusdam è nominibus dierum Hibernicis deducta, in sequenti hebdomadica distributione, obiter hîc visum annotare.


Nomina Latina.


Nomina Hibernica.

Dies Solis, sive }
 Dies Dominicus. }
 Dies Lunæ.
 Dies Martis.
 Dies Mercurii.
 Dies Jovis.
 Dies Veneris.
 Dies Saturni.

Dia Domnuch.
 Dia Luan.
 Dia Mairt.
 Dia Cedain.
 Dia Dardain.
 Dia Aine.
 Dia Satharn.

Ex his, Dies primus, stylo Ecclesiastico, Dies Dominicus nuncupatur, unde & nomen Hibernicum, *Dia Domnuch*. De veteri Hibernico nomine, ante receptam in Hibernia religionem Christianam, non habeo quod certò dicam, hodie verò *gyjan* Solem significat.





cat. Secundus, tertius & septimus Planetarum nomina servant, & Latine sunt originis, ideóque Antiquitatem (quatenus ad nostrum institutum) non redolent: nam Hibernos veteres propriam habuisse linguam, à Latina planè diversam satis liquet. De quarto, quinto & sexto, quid judicem hæreo. Sunt qui opinantur eorum nomina simul cum ipsa religione Christiana, in usum apud Hibernos fuisse inuenta. Sic dies Mercurii, juxta illorum sententiam, dicitur *da Cedain*, quasi dies primus jejunii, dies Jovis, *da Dardain*, quasi dies inter jejunia, & dies Veneris, *da Ane*, vel *Ene*, quasi dies jejunii. Non possum tamen non suspicari vetera ea fuisse nomina Hibernica Mercurii, Jovis & Veneris. Certè *Dardain* vestigia aliqua retinere videtur *Taramis* (Camdeno, *Taranis*) quo nomine Gallidum Ethnici, Jovem olim colebant; eadem significatione, quâ Latini, *Tonanem*. Literarum T. & D. frequens inter se permutatio obvia est. Meminit *Taramis* vel *Taranis* hujus, Lucanus, libro I;

Et Taramis, Scythica non mitior ara Diana.

Nisi quis malit à Britannico, *Tanar*, quod tonitru sonat, fluxisse. Húc spectat ara votiva Cestriæ effossa anno *MDCLIII*. (quam integram ibi vidi eodem anno) cum hac inscriptione (Jovi Opt. Max. Tanaro) à Tito Elupio Galerio, Antonino Pio imperante, posita.


H 2

Galerius



IOHANNES
TERTIUS GALER
BAPTISTVS QVINA
PRILEX XV V
COMMODO ET
LATERANO

M. D. C. LXXVII



GAlerius is Primipilus fuit vel *Legionis*
XXV. Victricis, ut verba incisa innuere
 videntur, vel, ut ego lego, *Legionis XX. Va-*
lenticis Victricis. Nam certissimum est eam Le-
 gionem, quæ & dicta *LEG. XX. VIC-*
TRIX. Divæ sive Cestriæ, sedem habuisse.
 Vide Camdenum, in Cornaviis pag. 458.
 & in Brigantibus, p. 626. De *GUNTA*,
 quid affirmem, adhuc nescio; si Guber-
 natorem signare dicerem, nonne aleam lude-
 rem? Sed de hac voce desudant alii, me
 certè diù sollicitum habuit. Cætera planissi-
 ma sunt, neque de literis V. S. L. M.
 in ultima linea, ullus restat scrupulus.
 Nota est expositio; *Votum solvit libens merito*,
 Ad tempus dedicationis quod attinet,
 erat is annus Christi **CLIII.** quo Com-
 modus & Lateranus consulatum gesserunt,
 Vide Cassiodori Fastos Consulares. Ne-
 que inusitatum erat olim veteribus Paga-
 nis hoc dedicationis genus: nam in libro
 Inscriptionum antiquarum orbis Romani,
 à Jano Grutero edito, pag. 20. num. 5.
 aram invenimus, **DEO FULGUR-**
RATORI dicatam, & aliam (ut
 cæteras hinc emittamus) pag. 21. n. 6. **JO-**
VI FULMIN. FULGUR.
TONANT L. Pergo. In *Cedain*, vul-
 gò *Keden*, reliquiæ aliquæ *Waden*, sive Mer-
 curii, Et in *Aine*, vulgò *Ene*, Veneris, superesse
 videntur.

videntur. Hæc accuratiùs excutere, non est hujus loci, & vereor ne in his jam tedio sim. De ritibus quibusdam priscis Ethnicorum Hibernicorum, speciatim nominatis simul & damnatis, vid. Synod. S. *Patricii* Canon. 14, 16 & 20.

Pag. 16. lin. 11. *fili Scottorum*] Hibernos ante S. *Patricii* tempora, Scottorum nomine fuisse designatos, præter Porphyrium & Ammianum Marcellinum, apertè probat Claudianus, in Panegyrico, de quarto Honorii consulatu;


Scotorum cumulos flevit glacialis Ierne.


Et libro 2. de laudibus Stilichonis.

*Me quoq; vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Munivit Stilicho; totam quùm Scotus Iernen
Movit, & infesto spumavit remige Tethis.*

* Solique me-
lius.

Item Paulus Orosius, S. *Patricio* paulò senior, de Hiberniâ loquens; *Hæc propior* (inquit) *Britannia*, *spatio terrarum angustior*, *sed cæli * solisque temperie magis utilis*, à *Scotorum gentibus colitur*. Sed de hac re, vid. plura, in libro meo de Antiquitatibus Hibernicis ante biennium edito. Quibus porro addamus Hiberniam non antiquius tantum, sed etiam Seculo XV, (ut de intermediis temporibus hinc taceamus) Scotia majoris nomine fuisse notam. Hoc constat ex chartâ Sigismundi Imperatoris, à Wiguleio Hundio, in Metro-





li Salisburg. citata. *Sanè* (inquit) *proparte Religioforum Abbatis, Prioris & conventus Monasterii Scotorum & Ybernicorum de Majori Scotia in Ratisbonâ, devotorum nostrorum, oblata nostra Celsitudini supplex petitio continebat, &c.* Hæc verba lucem aliquam præbent litteris Friderici III. ad Henricum nostrum VI. missis, quas (hactenùs ineditas) Lectori integras hîc visum exhibere, ex libro litterarum MS. Thomæ de Bekintonâ legum Doctoris, tunc temporis Henrico VI. ab epistolis secretis, postea Bathoniensis & Wellensis Episcopi.


Fridericus Dei Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, Austria, Stiria, Carinthia & Carnotæ Dux, Comes Tirolis, &c. Serenissimo Principi Henrico Regi Angliæ fratri nostro carissimo, Salutem & fraternæ dilectionis affectum. Serenissime Princeps, frater noster carissime; Accedet ad præsentiam vestram honorabilis, religiosus & devotus noster dilectus Alanus Abbas Monasterii Sancti Jacobi Scotorum Ratispon. ordinis S. Benedicti, nonnulla personæ & monasterii sui ex parte vobis explicaturus. Precamur V. F. attentius quatenùs ipsum in hujusmodi explicandis & aliis suis agendis, nostri intuitu, favorose recommendatum habere placeat, adeò ut nostras erga vos preces, sibi sentiat profuisse. Dat. Vien, anno Dom. MCCCXL, die XXVII. mensis Junii regni verò nostri anno primo. Atque litteræ illæ hactenùs. Ex ejusdem cœnobii Archivis, de his & similibus quæ ad nostram pertinent Hiberniam, plura opinor addi possent: nec

res est fortasse indigna viri alicujus eruditi solidique judicii curâ & indagine, qui de re Antiquariâ & ejus studiosis, benè mereri cupit.

Pag. 19. lin. 20. *quando baptizavi tot milia hominum.*] Mirabile est quod de multitudine converforum & uno die à S. Patricio in Conatiâ (unâ ex Hiberniæ Provinciis) baptizatorum, tradit Nennius, vel Ninius Britannus. *Duodecim (inquit) milia hominum in unâ regione Conachiâ, ad fidem Christi convertit & baptizavit; & septem reges qui erant filii Amalgith, in uno die baptizavit.* Ex eo, eadem habet Matthæus Westmonasteriensis, ad annum CCCXCXI. Hos septem, non reges fuisse, sed Amalgaidi regis Conatiæ filios, rectius asserunt alii. Sed de innumeris, per unversam Hiberniam, S. Patricii assiduâ prædicatione ad fidem conversis, consule vitæ ejus scriptores, qui hæc satis fusè tradiderunt.

Amalgaidi
 7. filii
 7. reges
 Amalgith

Ibid. lin. 30. *Et inter vos & ubique pergebam, causâ vestrâ, in multis periculis, etiam usque ad exterar partes, ubi nemo ultra erat,] Per exterar (fortè extremas) partes, Hiberniam intelligit, vel exteriores ejus partes, sicut supra, ubi ait, quia Evangelium prædicatum est, usque ubi nemo ultra est. Veteres quidem, S. Patricii ævo, de regione aliqua, ultra Hiberniam, versus occasum, nihil novisse, vix est cur quis dubitet, & verisimile est sanè nihil audivisse, præter obscuram*



incunte seculo decimo sexto. Unde colligere licet
eius opinionem, S. Cataldum ~ ~ ~
sub initium seculi sexti & lavasse: id
quod Antonius Cavariolus etiam
dixit. Sed ego ^{existimo} ~~difficilius~~ vixisse ^{potius} sub
mediam seculi septimi, Nam post obitum
S. Cathari primi ecclesie Lismovensis
proxime S. Scholae ^{idem} fundatoris. Nam in
Cataldi vita ^{Lismovensis} legimus ^{idem} Scholam Lismovensem
tempus vixisse, et ad eam undique ^{ex finitimis} ~~et~~
homines confluxi.

scuram eam narrationem de Atlantide, in
Platonis Timæo.

Ibid. lin. ultim. & pag. 20. lin. 1. &c. &
ubi nunquam aliquis pervenerat, qui baptizaret,
aut clericos ordinaret, aut populum consummaret,
donante Domino, d' l' genter & libentissimè, pro
salute vestrà, omnia generavi.] Hiberniam,
S. Patricii prædicatione & piis conatibus, pri-
mùm publicitùs Christi nomen recepisse, ne-
gari jure non potest, quando autem prima ve-
ritatis lux ibi affulserit controvertitur. Sunt Bi-
ographi nonnulli qui alios non paucos, ante
S. Patricii adventum, Evangelium ibi prædi-
casse, & quamplurimos ad fidem Christi
convertisse tradant. De multitudine creden-
tium in Hiberniâ, tempore S. Cataldi Hiber-
ni, vid. Bartholomæum Moronum, in vi-
tâ ejusdem Cataldi Romæ editâ anno
MDCXIV. ubi eum Tarentum asserit in-
gressum, (cujus urbis Episcopus evasit) circa
annum CLXX. ~~Ego autem Alexandro ab~~
~~Alexandro potius auctorior, qui Geniali-~~
~~um dierum lib. 3. cap. 15, de S. Cataldo lo-~~
~~quens: Is abhinc annis mille, (inquit) Pontifex~~
~~urbis Tarentinae præsuit. Alexander hic scripsit~~
~~circa annum Dom. Millesimum quingentesi-~~
~~imum; unde colligatur S. Cataldum in exi-~~
~~Seculi quinti claruisse, si non ut Antonius Ca-~~
~~racciolus conjicit, post initium Seculi sexti.~~
Hanc opinionem firmat multitudo ea creden-
tium in Hibernia, S. Cataldi ævo, à Morono

memorata, contra vulgò receptam Histori-

corum

Ceterum
Alex. a

quanto pe

o

ad quæ a
S. Cataldi
provindul

non ref
ri
debet. Signi

etia

et.

Dom Hibernia tunc et in

eorum opinionem. Ab aliis itidem, S. Albeus, Kiaranus Saigerensis, Ibarus & Declanus Episcopi, ante S. Patricium, in religione Christianâ propagandâ, operam ibi sedulo navasse feruntur. Cæterum quatenus ad tempus, perperam opinor, præsertim si Prospero credimus, qui Palladium PRIMUM ad Scotos, (sive Hibernos) missum fuisse Episcopum asserit, Basso & Antiocho Consulibus. Eos ævi porro recentioris fuisse, obitus eorum tempora innuunt. Nam in Annalibus tam Ultoniensibus quàm Inisfallensibus, Ibari obitus ad annum refertur 499, qui nobis est 500. & S. Albei, ad annum 526, vel 527. Declanum verò post Albeum decessisse, testatur vitæ ejus descriptor, De anno nihil traditum reperi. Item Kiaranum admodum senem, à S. Finiano Clonardensi, circa annum 530 discere non puduisse, ex ejusdem Finiani vitâ intelligimus, ita ut cur eorum labores in doctrina Evangelica propaganda, in recentiora tempora, post adventum nempe S. Patricii, non sint retrahendi, nullam causam videam. His addemus Bedæ Martyrologium, ubi ad XVI. Kalend. April. ita annotatum invenimus: *In Scotia, (sive Hibernia, uti habet Baroniana Martyrologii Romani editio) Natale (quâ voce veteres depositionem sive obitum sæpe intelligebant) Sancti Patricii Episcopi & Confessoris, qui PRIMUS ibidem Christum evangelizavit*, hoc est, inquit D. Rothæus, à doctissimo Usserio Armachano citatus,

post an-
nunciatâ
omni in
Hibernia
Evangeliz-
avit S.
Patricio,

M Ad Ibarum porro quod attinet, post-
rioris fuisse temporis, ~~constat~~
ex vita eius scriptore constat
videtur: nam ~~sequitur~~ in eâ dicit author Iba-
rum a Ihuo puerum S. Motta (at
Mottei) Luguedungis ^{sub Leuthen} fuisse
distributum. Motteus autem ille
factus est ^{sub} episcopus illius loci,
~~vixit~~ ^{sub} S. Patricio, ut è Josepho
et alijs ^{Biographis} ~~vita~~ S. Patricij, in tellu-
ribus. Manifestum deniq; videtur ^{alio}
S. Albi in Hibernia nesci ad posterior

ipidem
tempora esse referendos, quia in ipsa
vita eius que extat, reversum sum
anno a Roma invenimus, quando ^{rum} David -
qui postea episcopus fuit menobensis
fuit in matris utero. ~~Die 20~~
S. David autem natus est anno
anno 462, ~~anno~~ ^{Am erat tricesimus}
ab adventu S. Patricii in Hibernias
an, ac a S. Alboo baptizatus
existimatur.


tatus, Primus & primarius, honore, virtute, zelo, opere, sanctitate & efficacia conversionis omnium consummatissima. Maxima restat difficultas, ex ipsius Prosperi verbis, qui ad annum Domini 431. Bassi & Antiochi consularu signatum, ita scribit: *Ad Scotos in Christum CREDENTES*, ordinatur à Papà Celestino, Palladius, & PRIMUS Episcopus mittitur. Idem habent Beda, (Eccles. histor. gentis Anglor. lib. 1. cap. 13.) Marianus Scotus, Sigebertus & alii Prosperi sequaces. Sed Nennius, sive Ninius, qui seculo IX. vixit, Palladium missum asserit ad Scotos in Christum CONVERTENDOS. Palladium quidem Evangelium in Hibernia prædicasse innuunt Nennius, Probus, Jocelinus, alii, sed admodum brevi, & irrito pene successu. Et ad Prosperi ipsa verba, *Scotos in Christum credentes*, quod attinet, ea fortasse referenda sunt ad tempus quo Prosper Chronicon suum scripsit, quando nempe longè maxima pars Hiberniæ ad Christi fidem, S. Patricii prædicatione & operâ fuit conversa. Nam de temporibus ante Palladium, non intelligenda esse, innuunt ipsius Prosperi verba, in libro contra Johannem Cassianum (quem Collatorem appellat) cap. 4. ubi de Celestino loquens: *ordinato*, ait ille, *Scotis Episcopo*, dum Romanam Insulam (Britanniam sc.) studet servare catholicam, fecit etiam barbaram, (sive infidelem) Christianam. Quibus verbis, Insulam ad quam missus est Palladius, (ut hoc obiter


obiter adnotemus) planè distinguit à Britannia, cujus pars est hodierna Scotia. Sed de his viderint alii, qui felicius hoc argumentum tractent, nam hîc me cæcutire fateor. Ego interim in cursu instituto progrediar.

Pag. 20. lin. 21. *Ita ut me fruamini, & ego vobis semper fruam in Deum.*] Hinc, necnon ex aliis Confessionis Patricianæ locis, satis liquet, eam per modum Epistolæ ad Hibernos, scriptam fuisse. Epistolæ porro nomine citatur, ab antiquo mihi anonymo Scriptore, qui vitam S. *Patricii* tribus libris descripsit, sicut antea in Præfatione dictum est.

Pag. 22. lin. 22. *Sed & omnes qui adorant eum, in pœnam miseri malè devenient.*] De Sole hîc loquitur, quem Hiberni, dum ethnici, inter Deos majorum gentium, olim colebant, eos nimirum quos antequàm rem aliquam majoris momenti aggredere, ut feliciter succederet, aliquo prius sacrificio placare solebant.

Pag. 23. lin. 16. *Et hæc est Confessio mea, antequàm moriar.*] Verba hæc sunt postrema Confessionis S. *Patricii*, & inuere videntur illum, non diù ante obitum suum, eam literis mandasse. Obiit is, juxta vulgò receptam opinionem XVII. die Martii anno CCCCXCII. in cœnobio Saballino, quod ipse constituerat, annos natus, sicut Mole, CXX. & Duni, non procul ab eodem cœnobio, sepultus est. Omitto hîc varias Nennii, D. Bernardi, Monachorum Glastonien-
sium.





fium, eorúmque sequacium sententias, de loco sepulturæ corporis ejus, de quo, sicut de Homeri patria inter Græcos, magnæ erant olim contentiones, sed præsertim inter monachos Dunenses & Glastonienses.

Mortis S. *Patricii* me mentio admonet, ut de Testamento ejus nomine nobilitato, aliquid dicam. Neque penitus abs re est. Extat quidem versibus Hibernicis vetustissimis expressum, sed fidei incertæ. Tetrastichon ex eo, à Johanne Kellæo, ni fallor, jam olim Latinè redditum, hîc apponere visum fuit.

*Ter denis annis versatus in æde Saballi,
Ter denis aliis peragravi latus Iernam:
Centum & videnos annos vivendo peregi,
Præsentem ad noctem hanc, seclum produci-
tur istud.*

Necnon de Duno, istud Latinè sic expressum; *Dunum, ubi erit mea resurrectio, in colle Celtaris filii Dnach.*

Atque de hac Epistola, hæc sunt quæ, ut ad rem Historicam & Antiquariam spectantia, dicenda habui. Theologica verò libens ubique (uti par est) Theologis expendenda reliqui. Ad notas jam transeamus in Epistolam S. *Patricii* ad Coroticum.


NOTÆ


NOTÆ
in Epistolam
S. PATRICII
ad COROTICUM.

HÆc Epistola ad Coroticum (Jocelino, Cereticum) regulum Cambro-Britannicum non habetur in codice Armachano supra memorato, sed in lucem (post noctem diurnam) nunc primum exit, ex cæteris tribus exemplaribus manuscriptis, Cottoniano nempe, & binis Bibliothecæ Sarisburicensi, inter se collatis.

Epistola continet potissimum detectionem crudelitatis Corotici tyranni, qui multos ex Hibernis, S. *Patricii* prædicatione & laboribus ad fidem Christi conversis, occiderat, alios captivos detinuerat, aliosque Scotis & Pictis apostatis vendiderat.

Sunt quidem nonnulla in hac Epistola quæ exscriptorum incuriâ, Critici ingenium requirunt: Sed nihil est quantum video prætereâ, de quo dubitetur. Eundem habet stylum cum priori opusculo, ac scripturæ citatæ sunt





ex una eademque versione. Nunc ad notas particulares, ex verbis Epistolæ.

Pag. 24. lin. 3. *Patricius peccator, indoctus scilicet.*] Veteres Scriptores Ecclesiasticos frequenter tali usos fuisse humili exordio in Epistolis suis, ex eorum quæ hodiè extant operibus liquet. Exempla satis obvia sunt. Ex multis, uno vel altero contenti erimus. Vide igitur S. Galli Hiberni Epistolam ad Desiderium Cadurcensem Episcopum, scriptam circa annum Salutis 640. & Lanfranci Archiepiscopi Cantuariensis aliam, ad Tirdelvacum Regem Hiberniæ anno scriptam 1074. Prior extat in Henrici Canisii Tomo 5. Antiquæ Lectionis: Posterior, in Baronii Annalibus, ad annum 1089. sed emendatior in Bibliothecæ Cottonianæ codice M S.

Ibid. lin. 3. &c. *Hiberione constitutum Episcopum me esse fateor.*] Hic S. *Patricius* Episcopi tantum titulo se designat, quanquam non est cur quis dubitet eum omnium Hiberniæ Episcoporum Primatem extitisse. Atque ita olim licet Archiepiscopi interfuerint & subscripserint Synodo Arclatensi in Galliâ, sub Constantino Magno celebratæ, anno 314. Archiepiscopi tamen nomen nulli eorum ibi tributum legitur. Vid. Tom. 1. Conciliorum Galliæ à Sirmondo edit. Paris. anno 1629. pag. 9.

Ibid. lin. penultima. *Neophyti*] Neophytum Isidorus Hispalensis exponit *novellum & rudem fidelem, vel nuper renatum.*

Pag. 25. lin. 2. *Et misi Epistolam cum Sancto Presbytero*


^ Card.

Presbytero quem Ego ex infantia docui.] Quis Sanctus ille Presbyter fuerit, certo astruere non possum. Si conjecturæ venia; dicerem Benignum ibi intelligi. Benignus enim à puero, sub S. *Patricio* diligenter institutus, successor ejus tandem in sede Armachana designatus est, idq; ipso S. *Patricio* vivente & promovente. Tanto præceptore dignus discipulus. Hanc promotionem S. *Patricium*, dum Benignus adhuc puer esset, Spiritu prophetico prædixisse ferunt. Qua de re, consule Probum, circa initium libri II. vitæ *Patricii*, Tirechanum, Jocelimum, & Annales tam Ultonienses quàm Inisfallenses. Non negandum tamen varias fuisse opiniones de proximo S. *Patricii* successore, sed eas sciens hîc prætermitto, quia ad nostrum institutum, ista non spectat disquisitio. De his tamen aliàs, ubi commodius.

Ibid. lin. 8. *Zabulus*] pro diabolus, sicuti passim, apud veteres Ecclesiasticos Scriptores.

Pag. 26. lin. 24. *in ultimis terra.*] His verbis S. *Patricius* Hiberniam innuit. Atque ita accipiendus est in superiori sua Epistola (quæ & Confessio ejus dicta) ubi de *Ultimis Terra*, & de *Extremis Terra* loquitur. Hûc accedit quod de *Extremis Terra finibus*, ex litteris Honorii I. ad Scotos sive Hibernos habet Bedæ; Libro II. Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum, capite 19. Siquidem Hibernia regio est totius Europæ ad occasum remotissima. Unde in vita B. Columbani à Jona Abbate descrip-

(Hibernis Bénn)



ta vocatur *Insula in extremo Oceano sita*. Item in operis tripartiti auctore, de vita S. Patricii; Est autem *Hibernia Insula omnium occidentalium Insularum post Britanniam maxima, serenitate aëris saluberrima*: Deinde post pauca, ultra quam ad occasum, nulla invenitur habitabilis terra, nisi miranda loca, quae vidit S. Brendanus in Oceano. Hac jam *Insula propriè Scottorum est patria*. Et D. Bernardus, sub finem vitae S. Malachiae Archiepiscopi Armachani, de colloquens, *Nos (inquit) videre venerat à Finibus Terrae, non auditurus Salomonem, sed exhibiturus*. Neque hac occasione omittendum est Homerum & Hesiodum in occiduis his nostris partibus, sive in Oceano circa *Ultima Terrae*, Insulas fortunatas seu Beatorum collocasse.

Ibid. lin. ultima & pag. 27. lin. i. *Ingenuus fui secundum carnem, Decorione patre nascor.* Quid per verba illa *Decorione* (vel *Decurione*) patre nascor, collata cum his Confessionis ejus, *patrem habui Calpornium diaconem*, sit sentiendum, aliis judicandum relinquo. De multiplici *Decurione*, vid. Spelmanni *Glossarium*.

Pag. 27. lin. 20. *in manus Scottorum atque Pictorum*] Qui *Picti* illi fuerint incertum est. Nam præter *Pictos Albanientes*, qui in *Analibus Ultoniensibus*, nonnunquam *Picti*, sed plerumque *Cruithnei* appellantur, erant & olim *Picti* quidam *Hibernici*; qui *Cruithnei* etiam vocabantur. Horum regionem in parte boreali

reali Ultoniæ sitam, Probus *Cruithenorum* regionem nuncupat. Atque ut Pictis Romani nomen dederunt à depictis corporibus, unde Claudianus, in Panegyri. de III. Consulatu Honorii Augusti;


————— *nec falso nomine Pictos
Edomuit.*

Et libro de Bello Getico;

————— *ferròque notatas
Perlegit exanimis Picto moriente figuras.*

Ita *Cruithneis* nomen Hiberni fecerunt, à voce antiqua Hibernica *cruth*, quæ formas five figuras sonat. De Pictis Hibernicis (*Gwydhil Phichtiaid* à Britannis dictis,) vide Humfred. Lhuid. in Anglica sua Walliæ descriptione, pag. 14. & 15. De Pictis Albanensibus, consule Bedam, Ecclesiasticæ Histor. gentis Anglor. lib. 1. cap. 1. Verisimilius quidem videtur Pictos Albanenses hinc intelligi: nam addit S. Patricius paulò postea, ad Coroticum loquens, *Tu toties interficis & vendis illos genti extera*, &c.

Pag. 29. lin. 3. *Indignum est illis; Hiberiam nati sumus.*] De *Hiberione*, (sic enim S. Patricius Hiberniam bis in hac Epistola appellat) supra diximus in Annotationibus ad Confessionem ejus. Ad *Hiberiam* (nam ita etiam hinc semel Hiberniam vocat) spectat illud Johannis Lelandi, in Assertionem Arthuri Regis.



1^o Hibernorum opt,

Regis; ubi *S. Patricium Hiberorum* vocat Apostolum. Item in Cygnea sua Cantione, ubi Hibernos in fidem ab Henrico VIII. receptos, *Iberos* appellat;

*Fraçtos undique pœnitudo Iberos
Sylvestres domuit, suave Legis
Ferre, & perdocuit jugum Britannc:
Quæ victoria comparanda magnis.*

Item Johannes Hereus Medicinæ Doctor, sub Henrico VII. in Historia sua Anglicana, Heroico carmine conscripta, de Johanne comite Lincolnienſi loquens, qui arcana inierat consilia cum Margareta Burgundiæ Ducissa, de Henrico Rege exturbando;

*Hic Margarita se prædicat esse paratum,
Vt vires & opes omnes sociaret Hiberis.*

Herei hujus Historia M. S. extat in Bibliotheca Cottoniana, sub effigie Julii Cæsaris, C. 2. 12. Denique, (qui inter longè antiquiores numerandus est) Dioscorides Hibernos (opinor) intelligit, cum præter Britannos, *Hiberos* etiam ulos dicat pro vino, *Curmi* potu ex hordeo confecto. Ubi *Curmi* perperam legitur, uti notat Camdenus, pro antiquo verbo Britannico, *Cwrw*, quod cervisiam significat. Fatendum nihilominus Scriptores nonnullos (quod obiter observo) regionis homonymiâ deceptos, non pauca ad Hispani-


am, quæ & Hiberia olim dicta, pertinentia, ad Hiberniam temerè transtulide. Sic Firminus Martyr, *Hispanus* (sive Hiberus) genere, & civis Pampelonensis, uti satis liquet ex antiquis ejus Actis, à Francisco Bosqueto editis, in Histor. Eccles. Gallican. tom. 1. par. 2. & in Vincent. Specul. Historial. lib. 12. cap. 79. A Petro tamen Equilino, in Catalog. Sanctorum lib. 8. cap. 119. ex *Hibernia ortus* dicitur. Sic porro nonnulla Eusebiani Chronici exemplaria Galbam habent in *Hibernia*, pro *Hiberia*, sive Hispania, imperium invasisse. Sunt & alia exempla satis obvia. Sed nos ea hîc prætermittimus, quia aliò festinamus.


NOTÆ

ad Synodum

S. PATRICII.

CAnones hujus Synodi debemus apographo ex antiquo codice M S. Andegavensi descripto, quod jam olim ad D. Jacobum Usserium nuper Armachanum Archiepiscopum è Gallia misit doctissimus Jacobus Sirmondus. Aliquot tamen locis, librorum sive incuriâ sive inscitâ, valdè depravati sunt. In lucem primum





mum prodierunt ex eodem apographo anno MDCXXXIX, inter Concilia Britannica, curante V. C. L. Henrico Spelmanno equite aurato, una cum aliis S. *Patricio*, Auxilio & Illernino adscriptis, quos paulò emendatiores ex codice admodum antiquo Collegii S. Benedicti Cantabrigiæ transcriptos suo loco habes. Meminit hujus Synodi S. *Patricii*, ex codice Andegavenfi, & aliis Synodi Hibernicæ, ex codice Floriacensi, Philippus Labbeus, in novâ Bibliothecâ Manuscriptorum librorum, Parisiis editâ, anno MDCCLIII. Quando autem habitæ fuerint, me latet.

Expositio verbi *Valtro* supra habetur cap. XVII. Sed cujus sit linguæ planè nescio. S. *Patricium* linguarum non solum Britannicæ & Hibernicæ, sed etiam Gallicæ & Latinæ peritissimum, non expertum etiam Græcæ, asserit Jocelinus, capite CLXXXV. Fortassè lectio est depravata: quâ de re quærant alii. Ex eodem Canone, stricta monachorum illius ætatis disciplina perspicui potest. Et S. *Patricium* Monachis, vel Canonicis suis à mundanis occupationibus segregatis, propriam condidisse regulam certò constat. Porro ejus ætate, ut & seculo sequenti, varias fuisse Monachorum vel Canonicorum in Hiberniâ regulas, à S. Albeo, Kiarano juniore (filio Artificis vulgò dicto) Brendano, Congallo & Columbâ institutas, non est dubitandum, quanquam eorum successores normam tandem susceperint S. Augustini, atque inde

Canonici Augustiniani appellati fuerint. Neque alia fuit antiqua monachismi conditio in cæteris orbis Christiani partibus. Unde ita jam dictus Sirmundus in notis ad lib. VII. Epistolarum Apollinaris Sidonii: *Primis autem illis seculis, ante receptam S. Benedicti regulam, singulorum ferme canobiorum propria erant Leges & Statuta.* Sed in sole meridiano quid lucem quæro? De hac re non est cur ulterius disquiramus.

Canon XXV. de thoro fratris defuncti, habetur etiam in excerptis MSS. è Jure Sacerdotali Egberti Archiepiscopi Eboracensis, per Hucarium Levitam, sub titulo, *Item Synodus, de thoro fratris defuncti, ubi pro, super istis frater, melius habetur, Superstes frater.* Claruit Egbertus ille anno DCC L.

Canon XXX. adeò depravatus est, ut sine alterius codicis ope restitui ægrè possit. Interim sequentia quæ ad rem faciunt, ex cod. vetusto Canonum titulorum 66. in Bibliothecâ Cottonianâ, hæc apponere visum, sub titulo, *De his quæ non eludit Jubilæus. Synod. Hibern.* Alijs tibi opponentibus Jubilæum; respondebis. *Annus Jubilæus de rebus venditis & commodatis ex coheredibus propriis, ad homines catholicos est, non de antiquis commendatio; non de his quæ per vim rapta sunt, non de his quæ sine pretio fiunt, non de his quæ venduntur ex alienis hereditatibus, non de his quæ inter Regem & Ecclesiam fiunt, (quia Rex proprium Ecclesie quanto tempore non subtrahet, ita Ecclesia jus Regis) non de his quæ*

Canon XXIII de Juramento, & denotat &
prohibet morem cum qui in Hi-
bernia ^{olim} in baluit jurandi per vitam
salutem, Caput, manus Principis
vel Patris, vel potentis aliorum.
mos iste vitiosus ab Ethnicismo & ex
procuratoribus manavit. ~~Ex Oriente~~
~~primaria~~ Vid. Dionem, lib. 45, de Deo
jurandi per salutem & fortunam Jul
Caesaris. Atque Atque apud Aegyptios id
mos longe antiquioribus seculis in-
luit. ^{ut ex} ~~vid.~~ Josephi juramentum & per
^(vel vitam) salutem Pharaonis, (Genes. cap. XLI
liquet.

i Quibus adiret licet ^{alium} ~~ex alio~~
Canone ^{sequenti} ~~et~~ ^{ex} eodem redire, ~~de~~
~~tempore quo neglecta cadunt~~
~~in jus antiquum. Synod. Hibem.~~
Quicquid per 50 annos ve-
manstrit, hoc est Jubilaeum
[annuum] in unius jure trans-
grediens, sine numeratione,
aut excommunicatione, in per-
petuo non revertetur.

que sunt inter fratres, quia frater fratrem
fraudat. ^o

NOTÆ

ad alios IX. Canones

S. PATRICIO

adscriptos.

Habetur admodum vetustus liber
M S. Canonum titulorum LXVI. in
Bibliotheca Cottoniana Westmo-
nasterii, (sub effigie Othonis E. 13.)
in quo (partim dicti IX. Canones S. Patricio
attribuuntur. Liber ille descriptus est Anglo-
Saxonicis temporibus, & olim pertinebat ad
cœnobium S. Augustini Cantuarie, sicuti In-
scriptio præfixa testatur, ibi legenda.

Ad finem Canonis primi, in alia Canonum
collectione Collegii S. Benedicti Cantabri-
giæ, sequentia adijciuntur: *Clericus qui cau-
sam suam, sive iustam sive injustam, ad iudicium
alterius fidei Iudicis provocat, excommuni-
cetur.*

Per Principem in II. & III. Canon. in-
telligitur fortassè Pastor vel Episcopus. Ete-

† f. Monachos.

nim in jam dicto libro Cottoniano, habetur Canon sequens: *Synodus Hibern.* Si qua contumacia inter Principem & † Mona..... ejus per discordiam aliquam orta sit, non ejiciat Pastor gregem suum in dispersionem, nec oves Pastorem fugiant: sed invicem pacificentur. Item alius, his verbis; *Synodus Hibern.* ait. Testamentum Episcopi sive Principis est decem scripuli sacerdoti danti sibi sacrificium, sagum pauperi, viaticum cibi viduae, commune vestimentum ministro. Et haec tamen firmentur à clericis. Item sub titulo, de bonis Principibus: *Synod. Hibern.* Oportet omnem Principem, ut terra sit ad sustinendum, gubernator sit ad corrigendum, anchora sit ad sustentandam, malleus sit ad percutiendum, forceps sit ad tenendum, sol sit ad inluminandum, ros sit ad madefaciendum, pugillarius sit ad scribendum, liber sit ad legendum, speculum ad conspiciendum, terror sit ad terrendum, imago sit in omnibus bonis, ut sit * omnia omnibus. Item in codice Canonum pervetusto Collegii Benedictini Cantabrigiae, pag. 174. *Synodus Hibern.* Princeps in sua morte, de rebus Ecclesiae commendare potest, hoc est, pretium ancilla, sive de substantia, sive de agro. Eodémque sensu, in Annalibus Ultoniensibus, successores aliquot S. Patricii in sede Armachana, Principes appellantur, Cathasachus nempè, qui obiit anno DCCCLXXXII, Josephus & Mel-Patricius, uterque defunctus DCCCCXXXVI. sicut in libro meo de Provinciae Armachanae Praesulibus nondum

* 1 Cor. IX. 22.

dum edito annotavi. Quamquam *Mel-Patricius* ille à nonnullis inter Antistites Armachanos (quod obiter adnoto) non numeratur. De Abbate eodem titulo adornato, Sic liber Landavenſis Eccleſiæ M S. in vita S. Cadoci; *Abbas erat & Princeps super Gwilianc* regionem. Vid. Spelman. Gloſſar.


Ex Canone IV. S. *Patricii* modestia perſpici poteſt, ubi ait: *Nefcio annon: Deus ſcit.* Hoc uſitatum ei fuiſſe reſpondendi modum *in cauſis occultis & ambiguis*, notat Jocelinus, in vita ejus, cap. 185. Et poſt pauca: *Seipſum* (inquit) *humilitate vincebat: unde & in Episto- lis ſuis ſe eſſe peccatorem, ultimum, minimum con- tempibilem, ſe nominare conſueverat.*

Quintum & Sextum edidit jam pridem doctiſſimus Jacobus Uſerius nuper Archiepiſcopus Armachanus: cæteri nunc primùm ab umbra ad ſolem emittuntur; exceptâ priore parte Canonis noni, quæ invenitur etiam inter Canones Synodi *Patricii*, Auxilii & Iſſernini: Sed lectio hîc ſanior eſt, ut ex collatione patebit. Vid. itaque IV. & V. Canon. illius Synodi, unâ cum notis ad eoſdem, ſuis locis.

NOTÆ

NOTÆ
ad Synodum
PATRICII,
Auxilii & Iſſernini.

EXtant hi Canones in pervetusto codice MS. Bibliothecæ secretioris Collegii S. Benedicti Cantabrigiæ, literis majusculis descripto, (num. 221.) sed adeo ægri in aliquot locis, ut sanabiles non sint, sine critica licentiâ. Uteunque ex editionis Spelmannicæ & dicti exemplaris Benedictini collatione, paulo emendatiores quàm antea, jam redditi sunt. Synodus hæc habita videtur à S. *Patricio*, unâ cum *Auxilio & Iſſernino* Episcopis, circa annum Domini CCCCL. post mortem *Secundini* Episcopi. Etenim in Annalibus Ultoniensibus, ad annum CCCXXXIX, (qui nobis est CCCXL.) ita annotatum invenimus: *Secundinus, Auxilius & Iſſerninus mittuntur & Episcopi in auxilium Patricii.* Quibus consentiunt Annales antiqui cœnobii Iſſalfensis in agro Kerriensi, (quos MSS. habeo) cum hac additione; *Nec tamen tenuerunt Apostolatum, nisi Patricius solus.* Constat porro



À Secundinum ex hac vita migrasse
anno CCCXLVII, vel CCCXLVIII,

rò ex iisdem Annalibus Auxilium decessisse anno CCCCLIX. vel CCCCLX, & Hserinum decennio post. Haetenùs de exemplari unde hæc hausimus, & de tempore quo Synodus celebrata videtur.

Hic porrò monendus est Lector aliquos è jam dictis Canonibus reperiri in supra memorato vetusto codice Canonum Titulorum LXVI. in Bibliotheca Cottoniana, sed S. *Patricio* soli, sine aliqua cæterorum Episcoporum mentione, adscriptos: è quibus, primus ita restituitur: *Si quis redemptionem captivi in qua siverit suo jure, sine permissione Abbatis, meruit excommunicari:* quartus & quintus ita: *Si quis acceperit permissionem Pontificis, & collectum sit pretium captivi, &c.* ut supra patet ex dicto codice Cottoniano, in prima parte Canonis IX.


Canonis sexti causam, quatenùs nimirum ad Clericorum tonsuram more Romano attinet, ita innuere videtur idem liber Canonum Cottonianus: *Romani dicunt tonsuram à Simone Mago sumpsisse initium, cujus tonsura de aure ad aurem tantum contingebat, pro * excel- * f. expellenda: lentia ipsa Magorum tonsurà, quà sola frons anterior tegi solbat. Auctorem autem hujus tonsuræ in Hibernia, subulcum Regis Loigeri filii † Nil † Nella extitisse Patricii sermo testatur: ex quo Hibernienses penè omnes hanc tonsuram sumpserunt. Sermo autem ipse periisse videtur. In Catalogo librorum olim pertinentium ad Cœnobium ~~Canonicorum~~ de Sion, apud Medio-Saxones in Anglia, fit mentio Sermonis S. *Patricii*; sed an*


an idem fuerit cum priore, vel an etiam in
extet, prorsus ignoro.

Ex hoc Canone satis liquet rejiciendam
esse sententiam Authoris Catalogi de tribus
ordinibus Sanctorum Hiberniæ, cum *S. Patricium*
& alios primi & secundi ordinis Sanctos
ab aure ad aurem tonsos fuisse tradat. Neque
dubitandum hallucinatum eum porro, ubi
primum Sanctorum ordinem *Mulierum admi-*
nistrationem & consortia non respuisse asserit: ut
tum ex nono Canone nunc edito, tum è Jocer-
lino liquet: Is enim cap. 102. *S. Patricium*
sanxisse tradit, *ut à mulieribus viri sequestra-*
rentur, & utrique sexui edificia & oratoria di-
stincta construerentur, ne nomen Dei per eos inter-
gentes quibus illud predicabant, blasphemaretur,
nec infirmis scandali occasio ulla in casuali, vel
detrahendi materia tribueretur. Sic ille ibi.

Hâc Synodo sedente, Ethnicismum, (tri-
stissimum superstitionum Chaos) in Hibernia
non fuisse penitus extinctum produnt Cano-
nes 8. 13. 14. & 16. E quibus 14. & 16. Genti-
lium ritus aliquos speciatim denotant & pro-
hibent. Vid. porro supra notas marginales.

Canon XXIV ita plenius habetur inter
Canones dispersos in jam dicto codice Cotto-
niano, sub titulo, *De conversatione advena acci-*
ipientis locum. Synodus Patricii dicit: *Si quis ad-*
vena ingressus fuerit in plebem, non ante baptizet,
nec offerat, nec consecret, nec adificet Ecclesiam,
donec permissionem acceperit ab Episcopo illius
Provinciae, quia exemplum humilitatis est. Nam
qui





qui sperat ab infidelibus aut laicis, & non ab Episcopo permissionem acceperit, alienus est. His addamus ex MS. Dialogo Ecclesiastica Institutionis, à Dom. Ecgberhto Archiepiscopo Eburacæ civitatis composito, ob argumenti cognationem, insequentem definitionem.

Interrogatio.

Si permittendum est Presbyteris, sive peregrinis sive nostri generis, passim ministrare absque conscientia Episcopi loci, in cujus diocesi interim demorantur; maxime sub Laicis, nusquam stabiles, nec loco nec authoritate Pontificali primitus fundati.

Responsio.

Presbyteros peregrinos, vel absolutè ordinatos, sine litteris commendatitiis circumeuntes provincias; nusquam eos ministrare patimur, vel sacramenta tradere, absque conscientia Episcopi loci. Quæ verò necessaria sunt, placuit eos ministrare: administria tamen sacrorum tales nolumus admitti, sine grandi discretionè.

Ecgerhtus ille sive Egbertus Ecclesiam Eboracensem rexit ab anno 732. ad annum 767. ob instructissimam quam Eboraci instituit Bibliothecam, (ut è Guil. Malmesburiensi liquet) celeberrimus, vir prudens præterea & eruditus, necnon eruditorum summus patronus.

In Canone X X X, Parochia sumitur pro integra Diocesi. Atque sic passim exempla

exempla reperiuntur apud veteres scriptores, speciatim apud Bedam, in Epistola sua adhuc inedita, ad jam dictum Egbertum Archiepiscopum Eboracensem. Alios sciens hic prætereo.

Pars posterior Canonis XXXIV. ita distincto Canone habetur in codice Cottoniano, sub titulo; *De vago monacho excommunicando.* Patricius ait. *Monachus inconsulto Abbate, vagus, ambulans in plebe debet excommunicari.* Et postea in eodem codice, sub titulo; *De ordine excommunicationis.* Synodus Hibern. *Sex modos [excommunicationis] dicit: à celebratione, à communicatione mensæ, à cohabitatione, à benedictione, à conloquio pacifico, à comæatu.* Sed hoc obiter. Simili ratione, ita Egbertus, in Dialogo suo Ecclesiasticæ Institutionis;

Interrogatio.

Presbyter, Diaconus sine nutu Prioris sui transfiliens in alia. Si liceat diocesi ministrare?

Responsio.


Desertorem verò propria Ecclesia interdictum habemus in alia ministrare, ministrantem verò taliter, à suo submoveri officio, donec reconcilietur Ecclesie sue.

Hæc eo libentiùs ex Egberto inserui, quia liber ejus est adhuc ineditus & luce dignus.

jam virtus

0

5275



NOTÆ

ad alios Canones

S. PATRICIO

adscriptos, in codice Collegii

S. Benedicti Cantabrigiæ.

SYNODO *Patricii* Auxilii & Iſernini adjuncti sunt in dicto codice Collegii Benedictini, alii etiam Canones *S. Patricio* attributi, quos supra conspicendos exhibuimus: omissis duntaxat sententiis nonnullis de iudiciis Ecclesiæ, quia illæ plenius habentur, inter Proverbia *S. Patricio* adscripta è codice Cottoniano nunc edita.

Canon de *Furto in Ecclesia peracto*, *S. Patricio* attributus totidem ferme verbis habetur in illo sæpe à nobis memorato libro Canonum Cottoniano titulorum 66. cum hac additione; *Et post penitentiam erit Monachus.*

In eodem præterea libro Cottoniano, sunt multi alii veteres Canones Synodorum Hibernicarum ætatis incertæ, & in alia Canonum collectione in eodem volumine; *Canones Adamnani* Hiberni; omnes luce quidem digni,

digni, sed quia ævo Patriciano recentiores, hîc prætermiſſi, ut ad institutum nostrum non pertinentes. Non est tamen cur quis dubitet S. Patricium, qui juxta Jocelinum, quottannis, etiam in extrema sua senectute, Concilium celebravit, quamplurimos alios promulgasse Canones. Pars eorum aliqua adhuc forte in occulto latet, sed longè major pars proculdubio periit. Speciatiim Synodum Caseliæ fuisse habitam à S. Patricio, Albeo & Declano, antiquus vitæ S. Declani scriptor his verbis innuit: *Commanentes in civitate Cassyl, S. Patricius, & S. Declanus, cum multis sanctis suis discipulis apud Regem Engusam, multa bona rigoris Christiani constituerunt. Et ibi Rex Engusa & S. Patricius, cum omni populo, ordinaverunt Archiepiscopatum † Mumonia, in civitate & in sede S. Albei, (qui tunc ab eisdem Archiepiscopus ordinatus est) per seculum.* Ita Biographus. Cæterum Canones tunc editi (quod dolendum) non extant. Atque idem fermè dicatur de Canonibus Synodi à Patricio, Auxilio, Secundino & Benigno habitæ, è quibus unicus duntaxat (quod sciam) superest; *De alienis Provinciis adeundis ad judicandum, in causis difficilioribus.* Mitto hîc fabellas quas de duabus Synodis, quasi à B. Patricio Sanctis in Hibernia indictis, habet nugator quidam anonymus Seculi XV, qui libellum *de Ecclesia Consecrati Petri* juxta Ratisbonam fundatione, scripsit. Nolo figmentis istis Lectoris patientiâ abuti.

† *Momonis.*

NOTÆ

^ S. Albeus, Sanctus 93

NOTÆ

ad Proverbia

S. PATRICII.

PRima sententia desumpta est ex suprâ memorato libro Canonum Cottoniano titulorum 66. Et totidem ferè verbis habetur etiam in Proœmio Synodi Patricii, Auxilii & Issernini. Ex eodem porrò codice Cottoniano, transcriptæ sunt octo sententiæ priores, de Judicibus Ecclesiæ. Reliquæ verò, ex alterâ Canonum collectione, quæ in eodem volumine superiori subjungitur, ubi hoc etiam annotatum reperi. *In libris Patricii II. Episcopi.* (hoc est, libris, ni fallor, de Actis ejus,) *Ethianus & Conallus in campo Hai, Episcopos indignos ordinaverunt, quos increpavit Patricius, dicens: Quare absque consilio nostro Episcopos ordinastis? Quàm indigni sunt apud Dominum ordinari? Ideo Ecclesiæ vestre sint semper minima. Et monachi in pœnitentiam adducti sunt.* Consul. Jocelin. vit. Patricii, cap. 123. Qui porrò cap. 185, S. Patricium Proverbiorum librum Hibernicè conscripsisse asserit. De quo, vide etiam infrâ, in Annotationibus ad librum de Abusionibus


105 w
Dall a
MASH
Haj. macq
& Mar anoy


Seculi. Aliqua etiam Proverbia discere licet
 è vitæ ejus Scriptoribus, quæ studiosi Lectoris
 industriæ reliquimus.

Atque hæc de Synodis, Canonibus & Pro-
 verbis S. Patricii, hîc dicta sufficiant. Jam
 alia videamus.

NOTÆ
 ad lib. de tribus
 Habitaculis.

HUJUS libri exemplar ante annos
 circiter XXX, descriptum est ex
 antiquo codice manuscripto Biblio-
 thecæ Regiæ, ad S. Jacobi, in quo
 S. Patricio Episcopo adscribitur. Ejus itidem
 nomen præfert exemplar antiquum MS.
 quod Cantabrigiæ nuper vidi, penes Guiliel-
 mum Morum, virum doctissimum & ve-
 nerandæ Antiquitatis diligentem indagato-
 rem. Sunt qui ascribant S. Augustino. Et
 certè in Tomo IX. operum ejus extat. Cæte-
 rum cum Auctor passim citet scripturas ex
 versione D. Hieronymi, Augustiniano ævo
 & Patriciano haud publicitè receptâ, non
 potest esse alicujus eorum. Neque desunt
 etiam qui numerent inter Scripta D. Bernar-
 di, quanquam juxta Erasmum, nec illius vi-
 detur esse. Utcunque, auctor (quicumque
 ille





ille fuerit) meritâ laude non est fraudandus.

Boltonus Buriensis, hunc librum à quibusdam inscriptum prodit, *De Gaudiis electorum, & pœnis damnatorum*. Balæus autem qui ex uno opere, (suo more) plura sæpè fabricat, præter librum *de tribus Habitaculis*, numerat etiam inter scripta S. Patricii, *lib. de futura electorum vita*, qui (ut ex argumento conijcere licet) pars est duntaxat prioris operis. Sed in hac re nihil definiam: Suum cuique liberum esto per me iudicium.

Eundem libellum de tribus Habitaculis, auctiorem fecit, ac suo nomine evulgavit, (uti Balæus innuit, Centur. IV. Scriptor. 20.) *Godwinus* Sarisburiensis Ecclesiæ Præcentor, sub Henrico III. Rege Angliæ. Hæc generatim. Cùm verò Tractatus hic nunc editus sit omninò Theologicus, hoc argumenti genus Theologis excutiendum reliqui, & à notis particularibus consultò abstinui.

NOTÆ

ad Chartam

S. PATRICIO

adscriptam.

EXcerpta quædam ex hâc Charta, sive (ut alii volunt) Epistolâ de Antiquitatè Avalonica,

lonica, habentur in Johannis Tinmuthensis Sanctilogio Britanniae, in vita nempe S. Patricii, necnon in exscriptoris ejus Johannis Capgravi novâ Legendâ Angliæ, Londini typis excusâ anno Dom. MDXVI. Neque plura habet Gerardus Vossius in suis Sanctorum Patrum Miscellaneis. Cæterum ipse Tinmuthensis hæsitare videtur, an S. Patricii factus fuerit genuinus; Nam in ipsâ S. Patricii vitâ, paulo ante excerpta ea, mentem suam ita aperit: *Quæ autem inferius digesta sunt apud Glastoniam, ex libris Monasterii illius excerpti: quæ si veritatem sapiant, Lectoris arbitrio relinquo.*

Integrum quod nunc publico damus exemplar descriptum est ex Gulielmi Malmesbur. MS. lib. de Antiquitate Ecclesiæ Glastoniensis, in bibliothecâ Cottonianâ, sub effigie Vespasiani. D. 22. suspectioris tamen fidei. Nam præterquàm quòd Charta non habet S. Patricii stylum; Is proculdubio in Hiberniam missus est à Celestino Pontifice, non anno CCCCXXV, nec CCCCXXX, ut nonnulla illius Chartæ exemplaria habent, sed anno CCCCXXXII, post mortem nempe Palladii, quem Celestinus in Hiberniam miserat, (uti testatur Prosper Aquitanus ejus æqualis) in Consulatu Bassi & Antiochi, qui in annum æræ Christianæ CCCCXXXI incidit. Obiit autem Palladius in ea parte Britanniae quæ nunc Scotia dicitur, in itinere ab Hibernia, Romam reversurus, ante finem ejusdem anni,

Timon
us
z. L
VAN
S. R.

...

...




o
^ Sed ^{quod} cum
amorum ratio vel Consulibus
vel Iudiciis, tum ~~referatur~~
referatur.

anni, nempe 15 Decembris, sicut vulgò traditur, quamvis Annales Inisfallenses asserant in Hibernia eum uno anno mansisse, sed in Britannia quievisse in Christo. Post Palladium illuc missum fuisse S. Patricium, è Tirechano, Nennio, Probo, Mariano Scoto, Jocelino & Annalibus tam Ultoniensibus quàm Inisfallensibus, cum denso aliorum Scriptorum agmine, satis liquet. Nonnullis minùs aridet ipsa æra Christianæ in Charta nominatio, ut quæ S. Patricii ævo, in usum non venit, ~~et~~ *veniebat*, ~~et~~

Recentiorem præterea ætatem olere videntur illa merè Anglo-Saxonica nomina in Charta adscripta quibusdam è XII illis fratribus, Phagani & Diruviani discipulorum successoribus appellatis, quos B. Patricius in Insula de *Inswirra* sive Glastoniâ, eremiticam ducentes vitam reperisse dicitur. Sex eorum insculpta gerit Pyramidum procerior, prope Ecclesiam Glastoniensem, à Guilhelmo Malmesburienfi, in libro de Glastoniensis Ecclesiæ Antiquitate, descriptarum. De tempore verò adventus Anglo-Saxonum (tunc Ethnicorum) in Britanniam, non alium producā testem quàm ipsum Malmesburiensem, qui in libro I. de Regum Anglorum gestis, (Bedam venerabilem secutus) disertè tradit eos in Britanniam venisse anno Dom. CCCCLXIX, qui idem fuit annus quo auctor Additionum ad librum ejus de cœnobii Glastoniensis Antiquitate, B. Patricium à jam

dictis fratribus Abbatem designatum Glastoniensem asserit. Neque desunt qui errore crassiore Abbatem factum volunt anno CCCCXXXIII. Sic enim ejusdem cœnobii Monachus qui vixit an. MCCLIX. *Ab Incarnatione Domini usque ad adventum S. Patricii Hiberniensis Apostoli in Glastoniam, CCCCXXXIII. ann.* Hic fratres in diebus illis in diversis locis habitantes congregavit, & secundum regulam sanctam communiter vivere instruxit. Et postea ipsi fratres prædictum Sanctum unanimiter elegerunt, & primum Abbatem illius loci constituerunt.


Atqui ut in hoc non audiendi sunt Monachi Glastonienses, ita nec in loco mortis & sepulturæ S. Patricii, cum mortuum eum & sepultum Glastoniæ contendant. Consentiens enim est Biographorū omnium Hibernicorū sententia S. Patricium nostrum ab anno CCCCXXXII, quo in Hiberniam (uti diximus) venit, in messe Hibernica totum pene ætatis reliquum, ad extremum usque spiritum, juxta votum, transegisse. Bis quidem inter in Britanniam, Evangelicæ prædicationis causâ, profectus est, ex Hibernia primum, deinde aliâ vice in reditu à Roma; In primo reditu versus Hiberniam, ad Insulas maris convertendas divertens, in Mannia aliisque Insulis, Evangelii semina sparsit. Ex Anglis porro, Jocelinus de quo supra, cap. 191. de posterioribus S. Patricii annis XXXIII, (vel XXX, potius) loquens, quando nempe grandævus fuit, integris tamen corporis & mentis sensibus, *Contemplativa*
(inquit)




(inquit) *vita dulcedini intendens potissimum in Saballo, (cœnobio nempe ubi postea obiit, licet Duni sepultus) vel monasterio Ardmachie constituto, commorari consuevit, nec de facili de his solebat egredi locis, nisi urgens necessitas compelleret. Semel tamen singulis annis Concilium celebravit, ut ad regulam deduceret, quæ correctione egere cognoverat. Sic liber impressus: Noster verò MS. ut lima correctionis à subditorum cordibus, rubiginem ignorantia eliminaret. Quomodo porrò & ubi ætatis reliquum transegerit S. Patricius post missionem in Hiberniam, vid. carmen Fiecho Slebtienfi tributum, necnon Chronica Florenti Wigorniensis, Sigeberti & Antonini. De loco verò sepulturæ, Johannes Tinmuthensis in vita S. Patricii, licet secundum opinionem modernorum S. Patricium in Glastonia perhibeat, juxta suam tamen sententiam, in civitate Dunensi sepultum fatetur. Neque hæc occasione omittendus est Guilielmus ipse Malmesburiensis, qui in libro II, de gestis Pontificum Anglorum de Glastonia loquens; *Facet ibi, inquit ille, Patricius: sed cautè addit, si credere dignum, &c.**

Hic porrò notandum duos fuisse alios in Hibernia Patricios, magno nostro Patricio vivente, *Sen-Patricium* nempe, sive senem Patricium, cum S. Patricio (cujus domesticus fuerat) à scriptoribus nonnullis confusum, quem Glastoniæ obiisse ferunt anno CCCCLVIII, & alium juniorem S. Patricii nepotem, qui post decessum patris, ait jam di-

dictus Jocelinus, Britanniam remeans, in fata
 decessit, & in Ecclesia Glastoniensi sepultus est ho-
 norificè. His addemus alium etiam Patrici-
 um, licet longè posterioris ævi, Abbatem
 (uti habet Colganus) Armachanum, qui
 claruisse dicitur anno Dom. DCCCL, &
 relictâ patriâ suâ, Glastoniæ obisse, ipso
 die S. Bartholomæi Apostoli. De hoc Pa-
 tricio, consule Ranulphi Higdeni Polychron,
 lib. 5. cap. 4. Henrici Knightoni Chron. lib. 2.
 Historiam Jorvallensem Johanni Bromtono
 adscriptam, ad annum 1185. & Indiculum
 Reliquiarum cœnobii Glastoniensis, in Biblio-
 theca Cottoniana, Henrici III. Regis tempo-
 ribus descriptum, ubi festum S. Patricii Hiber-
 nensis Apostoli, (primiti dicti Abbatis Glastoni-
 ensis) agi dicitur *VIII. Kalendas Septembris*,
 die nempe proximo post festum S. Bartho-
 lomæi, cum Patricii nostri dies anniversarius
 ad XVII Martii referatur. A tot Patriciis ex
 Hibernia Glastoniam concedentibus, ibique
 sepultis, ansam arripuerunt Monachi nonnul-
 li Glastonienses, ex Antiquitatis, ut videtur,
 vel affectatione vel inscitia, acta nonnulla uni-
 us vel alterius eorum, ad S. Patricium temerè
 transferendi. Hinc D. Rothæus, licet in suis
 Hiberniæ Analectis, (Balæum secutus) inter
 S. Patricii opera, Epistolas numeret, *De Anti-
 quitate Avalonica, & ad Avalonicos incolas*,
 hanc tamen addit notam marginalem: *Qui-
 dam putant postrema hæc, (Epistolas innuit) non
 primo nostro Apostolo, sed alteri Patricio ejusdem
 nepoti,*





nepoti, vel ceteriori aquivoco convenire. Et speci-
ciatim de hac Epistola loquens; *De cuius* (in-
quit ille) *Epistola fide, erit alibi fortasse dicendi*
locus. Epistolæ hujus sive Chartæ, is eam du-
taxat particulam vidit, quam ediderat Cap-
gravius in Legendâ suâ. An aliquid verò, de
fide ejusdem, postea scripserit, me latet.

Notandum hîc *Chartam & Epistolam* verba
esse, ab inclinato Romanorum Imperio, pro
eodem sæpe usurpata, ut ex Marculfo, vete-
rumque formulis, ostendit, in Glossario suo,
Spelmannus noster, in voce, Epistola.

Ad hanc Chartam verò ut redeamus: Ne-
gari certè non potest multa post S. *Patricii* obi-
tum fluxisse secula, in quibus de ea, altum fuit,
apud Scriptores, silentiû. Constat tamen adeò
celebrè fuisse antiquitùs B. *Patricii* memoriam
Glastoniæ, ut vetustissima illa Ecclesia B. Mariæ
simul & B. *Patricii* nomen acceperit, quæ admo-
dum ex chartis Baldredi, Inæ & Ealdredi satis
liquet. Deniq; quid vetat concedere S. nostrum
Patricium Glastoniâ aliquando accessisse, & E-
vangeliû ad tempus ibi prædicâsse? Quid hoc
ad Chartâ? Qui sequetur eam esse genuinam?


Atque hæc hætenus, licet paulo prolixius
quàm pro instituti meiratione, occasione Epi-
istolæ hujus sive Chartæ S. *Patricii* nomine no-
bilitatæ congesti, studio ingenuo & sincero, ve-
ritatē ab injuriâ vindicandi; quorum plurima,
è Britannicarum Ecclesiarum Antiquitati-
bus, à D. Jacobo Usserio nuper Archiepisco-
po Armachano editis anno MDCXXXIX,
me

me hausisse libens agnosco. Variantes Lectiones, ex aliis exemplaribus MSS. ad marginem Chartæ sunt appositæ. Ad notas nostras in lib. de Abusionibus Seculi, sive (ut alii appellant) de XII. Abusionum gradibus, jam progredimur, quæ hoc pensum claudunt.

NOTÆ

*ad lib. de Abusionibus
Seculi.*

HOc Opusculum de Abusionibus Seculi, à viris nonnullis doctis S. Patricio adscribitur, à quibusdam etiam S. Cypriano, & ab aliis S. Augustino. Cæterùm scripturæ in eo citatæ, ex versione D. Hieronymi satis arguunt, sicuti observat Jacobus Pamelius, (è cujus editione correctissima operum S. Cypriani ipsum libellum me transcripsisse fateor) neq; S. Cypriani esse, neq; S. Augustini. Idcirco nos itidem pariratione dicamus, neque S. Patricii esse, quamvis inter ejus etiam scripta feratur. Præterea non habet stylum S. Patricii, ut facile apparebit stylum componenti cum illo Confessionis ejus, & Epistolæ ad Coroticum. Conjicit Pamelius aut Ebrardi cujuscumque esse aut Johannis Climaci, qui *simili* (inquit ille) *titulo*, de gradibus XXX, libellum edidit. Ebrardi illius




lius scriptum non vidi, ita ut de eo quid dicam nescio. Sed Climaci non esse, liber ejus Coloniae editus anno MDCI, (post Pamelii obitum) cui *Scala Paradisi* nomen fecit, satis arguit. Utcunque, admonet me titulus hujus nostræ editionis, ut locum aliquem ei darem inter opuscula S. Patricio adscripta. In qua re, vestigia secutus sum doctorum eorum virorum qui sanctorum Patrum opera ediderunt.


Verumenimverò, cum excerpta quædam ex hoc libello, ab Auctoribus admodum antiquis, sicut supra in Præfatione notavimus, licet tacito libelli titulo, S. Patricio adscribantur, non possum non suspicari eundem esse cum Proverbiorum eo libello, quem *adificatione plurimâ plenum* Jocelinus Furnessensis (cap. 185.) S. Patricium Hibernicè scripsisse asserit, & quem fortassè Hibernus aliquis, post obitum Patricii, in linguam Latinam convertit. Hic etenim in Proverbiis & Sententiis appositis, *Seculi Abusiones* apperuntur. Hoc si verum, stylus & scripturæ è versione S. Hieronymi citatæ nihil obstant quo minus liber ille partus sit ingenii Patriciani, licet ab alio translatus. Utcunque, nihil a se veranter affirmabo, quin potius rem totam in medio relinquam. Atque hæc de operibus S. Patricio adscriptis & jam editis, dicta sufficiant.

Corollarium.

Corollarium.

Historici tam Britannici quam Hibernici in hoc conveniunt S. Patricium in Britannia fuisse natum. De loco tamen variant, dum alii natale ejus solum in *Valle Rosina*, apud Wallos, ponunt, ubi postea constituta est Sedes Menevensis, alii, in *Tabernia*, quæ regiuncula est Britannica, nunc pars Scotiæ; non procul (uti supra diximus) a castro Dun-Britannico. Huncque fuisse natalitatis ejus locum (ut de Probi, Florentii Wigorniensis, Jocelini & aliorum Testimoniis hic taceamus) designare videtur ipse Patricius, in Confessione suâ jam editâ. Ætatis anno XVI, hoc est, anno Christi CCCLXXXVIII, à piratis in Hiberniam, Nello *Nigialach* regnante, captivus ductus est, ubi Milchonis reguli porcos pascens, juxta montem *Mis*, in ea parte Ultoniæ quæ olim vulgò *Dalaraida* (Probo, *Cruithenorum regio*) dicebatur, sex annos transegit. Inde demum liberatus, in patriam reversus est. Atqui ærumnarum ejus hic non erat finis: nam post biennium, vel circiter, secundam pertulit captivitatem in Hibernia, licet non diuturna fuerit, sexaginta enim diebus tantum duravit. In patriam





triam denuò reversus, iter Romam usque suscepit, sed in via, apud S. Martinum Episcopum Turonensem celeberrimum, avunculum suum aliquandiù commoratus, ab eo in sacris scripturis institutus, Presbyter ordinatus est. Inde Romam profectus, ibi etiam in sacrarum scripturarum lectione, ac in devotæ vitæ exercitiis, & studiis assiduus, in Ecclesia Lateranensi Canonicus regularis vixit, quemadmodùm in Officio Canonorum ejusdem Ecclesiæ Venetiis impresso MDLXXXVI, legimus. Partim Romæ, partim in Insulis mediterraneis & locis vicinis XXX annos transegit. Tunc verò mortuo Palladio, quem paulò antè Celestinus Pontifex, licèt irritò ferè successu, in Hiberniam miserat, ad fidem Christianam ibi propagandam, Episcopus consecratus, in hoc tanto negotio, de conversione Hiberniæ ad veritatem Evangelicam, designatus est successor, anno Christi CCCXXXII; ubi tam prædicando & consulendo, quàm vitæ exemplo, innumeros, & inter eos Regulorum & procerum ingentem numerum, ab idolorum cultu, ad Christianam religionem convertit.

Universâ Insulâ his zeli & pietatis officii sæpius peragrata, sedem suam tandem, anno nempe CCCXLV, Armachæ fixit, locum (à salicibus quibus confitus fuerat, *Druim-sailec* aliquando dictum) concedente
Dairo

Dairo quodam homine divite. *Cathedram Archiepiscopalem* (inquit Jocelinus, in vit. S. Patricii, cap. 165.) *in eadem urbe collocavit, & ut Sedes illa totius Hiberniae esset Primaria, Metropolis & Magistra, animo statuit.* Calvus Perennis, qui vixit ineunte Seculo XI, *Apostolicam urbem eam* vocat, & ita se reperisse asserit in *Bibliothecis Scotorum*. Neque hinc præmittendum *Gymnasium illud, sive Summum studium literale*, quod, teste operis tripartiti auctore, *Armachæ* constituit, cujus Rector postea *Gildas Albanus* extitisse perhibetur. De cæteris S. Patricii Actis, quid hinc potissimum adjungam, nescio, adeo

————— *Inopem me copia fecit.*

Aliqua in Præfatione, & alia passim in Notis hisce, compendiosè descripsi: Plura noscendi cupidus Scriptores petat, qui vitam ejus fusè explicarunt.

Mihi animus erat non ita pridem Sermonem S. Patricio, à Richardo Stanihursto attributum, quem Antuerpiæ edidit anno MDLXXXVII. in vit. ejusdem Patricii lib. II, cum debita animadversione, cæteris ejus opusculis adjicere: Cæterum cum doctis satis, opinor, notum sit factum esse ingenii ipsius Stanihursti, non Sancti nostri Patricii, consultius tandem putavi eum penitus præmittere. Thomas Messinghamus, ad finem Florilegii sui Sanctorum Hiberniæ, eundem Sermonem recudendum curavit Lutetiæ Parisiorum


Calabria
in v. l.
colore
Primo
e. C. l.
Kl. de
procurat
p. p. p.
p. p. p.
R. l. m.
b. m.
o. m.

...

...

...





reriorum anno MDCXXIV. cum hac tamen cautione: *Hac Stanihurstus, loco citato. Utrum autem ex vetustis MSS. aut libris impressis, hanc S. Patricii orationem seu sermonem desumpserit, an accommodatè, ad id quod à S. Patricio tunc dici aut predicari potuit, ipse, more suo, ingeniosè & facundè composuerit, mihi incompertum est. Unum duntaxat est ex quo colligi videtur eam aliundè desumptam, nimirum quod notis quibusdam seu virgulis marginalibus, tota haec oratio, praè reliqua narratione, apud ipsum notetur. Hoc autem an ab alio compositam arguat, an secus, prudentis Lectoris arbitrio decidendum relinquo. Sic Messinghamus. Verùm à notulis siue virgulis Marginalibus petita conjectura, nullius proculdubio est momenti. Veritas certè mutuatis figmentorum coloribus ornari respuit. Quantam injuriam veritati faciunt qui supposititia pro veris, praesertim in rebus sacris, mundo obtrudunt, è doctis quis nescit? Superfunt porrò, praeter Epistolas quas supra exhibui, nonnullæ aliæ, ut accepi, S. Patricii Epistolæ, vel saltem fragmenta aliqua earum, quasi parvæ tabulæ è naufragio. Unicum Epistolæ illi adscriptæ fragmentum memini me legisse in Guilielmi Thyraei Discursibus Panegyricis, de S. Patricio: sed an ex Epistola aliqua integra descriptum fuerit, vel à quo fonte is hauserit, nescio. Circumferuntur itidem quædam alia Epistolarum ejus Analecta, quæ collata cum Confessione ejus jam edita, liquido apparent ex ea fuisse excerpta.*

cerpta. Operis tripartiti Author, de quo supra fit mentio, LIBRORUM Epistolarum ejus meminit, quibus se usum fuisse profiteatur, sicuti antea in Præfatione dictum est. Aliquas ex Epistolis illis quæ nunc desiderari videntur, dabit fortasse Des. Neque hinc præmittendum extare etiamnum Hymnum S. Patricio attributum, in antiquo tum Latinorum tum Hibernicorum Hymnorum codice, literis Hibernicis descripto, ad conventum fratrum Minorum de observantia Donegalliæ olim pertinente, qui ita definit; *Domini est Salus, Domini est Salus. Salus tua Domine sit semper nobiscum.* Reliqua pars ejusdem linguæ Hibernicæ conscripta est, à cujus peritiâ me longè abesse profiteor; ideoque Hymni illius editio ab alio quopiam est expectanda. Sed de Scriptis ejus satis.

Sanctum Patricium *constituisse ut Psalmi antiphonatim cantarentur à choro ad chorum*, tradit è Chronico Anonymi cujusdam Monachi cœnobii Malmesburienfis, Johannes Lelandus, Tomo I. Collectaneorum suorum, pag. 373. Liber MS. habetur in nobili Bibliotheca Bodleiana, quæ & publica Academiæ Oxoniensis. S. Ambrosium Episcopum Mediolanensem ritum hunc *Antiphonas in Ecclesia canendi, primum ad Latinos transtulisse à Græcis*, asserit Sigebertus, ad annum 387.

Hoc penso sic absoluto, mihi propositum est, Deo volente, proximo loco, Rerum Hibernicarum Annales, regnante Henrico Septimo, quibus ultimam manum nuper imposui, publici juris facere.


Notarum & Corollarii

FINIS.



L

Hymnus



Hymnus Alphabeticus

SECUNDINO EPISCOPO
S. PATRICII è Darerca sorore
Nepoti adscriptus, in laudem
S. PATRICII
tum viventis.

Audite omnes amantes Deum sancta merita
viri in Christo beati, Patricii Episcopi:
quomodò bonum ob actum similatur Angelis,
perfectamque propter vitam aequatur Apostolis.

Beatà Christi custodit mandata in omnibus:
cujus opera refulgent clara inter homines,
sanctumq; cuius sequuntur exemplum mirificum,
unde & in caelis patrem magnificent Dominum.

^a Al. MS. habet,
& inferni porta
adversus eum
non praevalent.

Constans in Dei timore, & fide immobilis,
super quem edificatur ut Petrum Ecclesia,
cujusque Apostolatum à Deo, sortitus est;
^a in cuius portâ, adversus inferni non praevalent.

Dominus

Dominus illum elegit ut doceret barbaras
nationes, ut piscaret per doctrinae retia,
ut de seculo credentes traheret ad gratiam,
Dominumque sequerentur sedem ad aetheream.

Electa Christi talenta vendit Evangelica,
qua Hibernas inter gentes cum usura exigit,
b navigii hujus laboris, tum opera pretium, b leg. navati.
cum Christo regni caelestis possessurus gaudium.

Fidelis Dei minister insignisque nuntius,
Apostolicum exemplum formamque praebet bonis:
qui tam verbis quam factis plebi praedicat Dominum:
ut quem dictis non convertit, actu provocet bono.

Gloriam habet cum Christo, honorem in seculo,
qui ab omnibus ut Dei veneratur Angelus:
quem Deus misit ut Paulum ad gentes Apostolum,
ut hominibus ducatum praeberet regno Dei.

Humilis Dei ob metum spiritu & corpore,
super quem, bonum ob adu requiescit Dominus,
cujusque sua in carne Christi portat stigmata,
in cuius sola c sustentans gloriatur in cruce. c forte susten-
tatur cruce.

Impiger credentes pascit dapibus caelestibus,
ne qui d ridentur cum Christo in via deficiant;
quibus erogat ut panes verba Evangelica,
d al. MS. vi-
dentur,
cujus multiplicentur ut manna in manibus.

K Astam qui custodit carnē, ob amorē Domini,
quam carnē templū paravit sanctoq; Spiritus,
à quo constanter cum mundis possidetur actibus:
quam ut hostiam placentem vivam offert Domino.

Lumenq; mundi accensum ingens Evangelicum
in candelabro levatum toti fulgens seculo.
Civitas Regis munita supra montem posita,
Copia in qua est multa quam Deus possidet.

Maximus namq; in regno cœlorum vocabitur,
qui quod verbis docet sacris, factis adimplet
bono precedit exemplo, formamque fidelium (bonis
mundoque in corde habet ad Deum fiduciam.

Nomen Domini audenter annunciat gentibus,
quibus lavacri salutis aeternam dat gratiam,
pro quarum orat delictis, ad Deum quotidie,
pro quibus ut Deo dignas immolatque hostias.

Omnem pro divina lege mundi spernit gloriā,
qui cuncta ad ejus mensurā estimat quæsquæ lia,
nec ingruenti movetur mundi hujus e fluxine,
sed in adversis latatur, cùm pro Christo patitur.

e al. MS. ful-
mine.

Pastor bonus ac fidelis gregis Evangelici,
quem Deus Dci elegit custodire populum:
Suamque pascere plebem divinis dogmatibus,
pro qua ad Christi exemplū suam tradidit animam.

Quem pro meritis Salvator provexit Pontificē,
 ut in cœlesti moneret clericos militiā,
 Cœlestem quibus annonam erogat cum vestibus,
 que in divinis impletur sacrisque affatibus.

Regis nuntius invitans credentes ad nuptias,
 qui ornatur vestimento nuptiali indutus,
 qui cœleste haurit vinum in vasis cœlestibus,
 propinansque Dei plebem spiritali poculo.

Sacrum invenit thesaurum sacro in volumine,
 Salvatorisque in carne Deitatem previdit,
 quem thesaurum emit sanctis perfectisque meritis,
 Israel vocatur hujus anima videns Deum.

Testis Domini fidelis in lege catholica,
 cujus verba sunt divinis condita oraculis,
 ne humana putreant carnes escaque à vermibus,
 sed cœlesti^t salientur sapore ad victimam.

f al. MS. satium-
 tur.

Verus cultor & insignis agri Evangelici
 cujus semina videntur Christi Evangelia,
 qua divino serit ore in aures prudentium,
 quorumque corda ac mentes sancto arat spiritus.

* **X**PS illum sibi elegit in terris vicarium
 qui de gemino captivos liberat servitio.
 Plerosque de servitute quos redemit hominum
 innumeros de ^h stabuli obsolvit dominio.

* Christus.

g al. MS. Zabu-
 li absolvit.

YMnos cum Apocalypsi, Psalmosq; cantat Dei,
quosque ad edificandum Dei tractat populus,
quam legem in Trinitate sacri credit nominis
Tribusque personis unam docetque substantiam.

Zonâ Domini præcinctus diebus ac noctibus
sine intermissione Deum orat Dominum,
cujus ingentis laboris percepturus premium,
cum Apostolis regnabit sanctis super Israël.

Notæ ad Hymnum

Secundino Episcopo adscriptum,
in laudem S. PATRICII
avunculi sui.

Descriptus est Hymnus ille alphabeticus,
ex antiquo codice M. S. Hymnorum,
olim ad Conventum ordinis Minorum de
observantia Donagalliæ pertinente, nunc in
Bibliotheca instructissima Usseriana asser-
vato.

De Secundino (al. Sechnallo) Episcopo,
qui hunc Hymnum composuisse dicitur, vi-
vente S. Patricio, ita in ejusdem Hymni Ar-
gumento legimus. *Sechnall filius Restituti de
Longobardis & Darerca sororis S. Patricii fecit
hunc Hymnum. Et Secundinus Romanum no-*
men

men ejus, Sechnall Hibernicum. Locus, Domnach-Sechnall. (Jocelino, Domnach-seachlain) hodiè vulgò contractè Donshaghlin in Media, ubi ille præfuit Episcopus, mortem obiit & sepultus est anno 448. Domnach autem i. Dominica Ecclesiam sive ædem sacram sonat.

Est & aliud hujus Hymni exemplar, è quo licèt manu recentiori exarato, variantes aliquas Lektionen ad marginem apponere visum fuit.

L 4

INDEX



INDEX

Rerum in Notis & Corollario

memoratarum.

A.

Albeus Episcopus
quando florue-
rit, Pag. 106.
Armacha Metropo-
lis, 142.
Armachanum Gym-
nasium, ibid.
Authoris Catalogi de
tribus Ordinibus
Sanctorum Hiber-
niæ Errores aliquot
ostenduntur. 124.
Auxilius Episcopus
venit in Hiberniam,
122. interest Sy-
nodo à S. Patricio
celebratæ, 127. mo-
ratur, 123.

B.

Benignus fit Suc-
cessor S. Patricii
in sede Armacha-
na, ipso Patricio
vivente, 112.

C.

Canones nonnulli
ex antiquis codi-
cibus MSS. inte-
gritati suæ restituti.
118, 121, 123.
Cataldus Episcopus
quando vixerit, 105.
Charta, pro Epistola,
137.
Clericorum tonsura,
pag. 123; cum 43.
Cruithnei,

INDEX.

Cruithnei, al. *Crutbeni*,
113, 114.

D.

Declanus Episcopus quando clauerit, 106.

Dierum nomina Hibernica unde dicta, 98. 99. 101.

E.

Egberti Archiepiscopi Eboracensis

Elogium 125. Ejus Scripta, 118. 125.

Episcopus principis nomine designatus, 119. 120. De Abbatate ita etiam dicto, vid. pag. 121.

Excommunicationis sex modi, 126.

G.

Glastonienses Monachi continent S. Patricium primū extitisse Abbatem Glastoniensem, Chartæ, quæ ejus nomen præfert,

fuisse authorem, ac Glastoniæ tandem obiisse & sepultum, 132. 133. 134.

Godwinus Præcentor Sarisburiensis librū S. Patricii de tribus Habitaculis auctiorem fecisse, & suo nomine evulgasse dicitur, 131.

H.

Hibernia dicta *Hiberione*, 97. *Scotia*, & *Scotia major*, 102, 103. *Hiberia*, 114. 115. 116. ubi tamen ostenditur Scriptores nonnullos, regionis homonymiã deceptos quædam ad Hispaniam, (quæ & Hiberia olim dicta) pertinentia, ad Hiberniã temerè transtulisse. Hibernia sita in *Ultimis* & *Extremis Terra*, 112 quando ad fidem Christi

INDEX.

- Christi conversa. 105. 106. 107.
- Hibernorum Ethnorum Idola, 98. 99. 101. 108. & ritus, pag. 124. cum 44.
- I.
- I**arus Episcopus quando claruerit, 106.
- Iserninus Episcopus venit in Hiberniam, 122. praesens adest Synodo, 127. moritur, 123.
- Jubilaei Leges, 118.
- K.
- K**iaranus Episcopus Saigerensis quando floruerit, 106.
- M.
- M**onachorum veterum Hibernicorum stricta disciplina, 117. cum pag. 35. &c. eorum diversae Regulae, 117.
- Monachus vagus excommunicandus, 126.
- N.
- N**eophytus quid, 111.
- P.
- P**arochia, pro Diocesi, 125.
- Palladius Episcopus in Hiberniam missus, Evangelium ibi praedicat, sed admodum brevi tempore, & irrito penè successu, 107. moritur in Britannia. 132. 133.
- S. Patricii patria, 97. 140. pater, pag. 113. cum 1. nomen primum, *Succat*, 96. 97. nomen secundum, *Patricius*, ibid.
- Servitutes, 140. cum 1. & 8. Episcopatus & Legationis Hibernicae susceptio, 141. Is Cathedram Armachae collocat, 141. 142. Gymnasium

INDEX.

- sium ibi instituit,
 ibid. Concilium
 quotannis celebrat,
 128. Ritus Psal-
 mos antiphonatum
 canendi, in Hiber-
 nia primus institu-
 isse dicitur. 144.
 Opuscula illi adscrip-
 ta, viz. Confessio,
 94. Epistola ad Co-
 roticum. 110. Ca-
 nones & Synodi,
 116. 119. 122. 127.
 Proverbia, 129. 139.
 lib. de tribus Habi-
 taculis, 130. Char-
 ta, 131. lib. de Abu-
 sionibus Seculi. 138
 Sermones 123. 142.
 143. lib. Epistola-
 rum, 144. Hymnus,
 ib. Testamentum, 109.
 Moritur, 108. Locus
 sepulturæ, 108,
 109. 134. 135. ejus
 Elogium, 96. 140.
 &c.
 Patricii alii, 135. 136.
 Picti tam Albanenses
 quam Hibernici
 unde dicti, 114.
 Presbyter advena non
 permittendus sine
 permissione Episco-
 pi loci, 124. 125.
- S.
- S**ecundinus al. Secu-
 nallus S. Patricii
 è sorore nepos, cu-
 jus loci Episcopus,
 pag. 151.
 Hymnus illi adscrip-
 tus in laudem S. Pa-
 tricii, ibid. moritur,
 ibid.
- T.
- T**anarus & Tara-
 mis, i. Jupiter,
 99.
 Thorus fratris detun-
 cti non ascenden-
 dus, pag. 118. cum
 37.
- V.
- V**ætro quid. pag.
 117. cum 35.

FINIS.

Addenda & emendanda.


P Ag. 14 lin. 22. 23. leg. ordinarentur. p. 35. l. 22. post
[Domini] adde, & reliqua, quo voto vivitur, situs loco-
rum coarctat, si superabundantia, in omnibus devitetur in
vita, quia in frigore & nuditate, in fame, &c. p. 101. l. 9. o.
leg. Gubernatorem p. 115. l. 14. post [Rege] adde, Liber-
norum ope, exturbando; &c. p. 118. l. 13. post. [Patricius,]
adde, S. Albens Sanctisque Declanus, &c. p. 143. l. 15. 16.
leg. petita conjectura nullius &c.


Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.


Abbas & monachi
Faint, illegible text in the middle section of the page, possibly bleed-through from the reverse side.


Faint, illegible text in the lower middle section of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through from the reverse side.









~~Handwritten scribbles and lines~~

2

